

1733, 3a AA
806

SINGVLARIA CAPITA
^{EX}
HISTORIA
TRIVMVIRATVS
^{AD}
ILLVSTRANDVMIVSRO-
MANORVM PVBLICVM ET
PRIVATVM PETITA.

EXERCITATIO IVRIDICA
^{QVAM}
IN ACADEMIA VIADRINA
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE
D. IOANNE GVILIELMO
HOFFMANNO

DIE XVIII. IVL. C^o IO CC XXXIII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

MARTINVS WILHELMVS MVNDT,
HAMBVRGENSIS.

FRANCOF. ad VIADRVM,
Litteris SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

EXERCITATIONIS CONSPECTVS.

- §. I. Instituti ratio.
§. II. Octavius in D. Iulii testamento arrogatus.
*Qua iura competitent arrogato per testamentum
ante latam legem curiatam.*
§. III. SCtum post necem Casaris de amnesia condi-
tum. Acta Casaris & ita Leges Iuliae confirman-
tur. Lex Antonia de Dictatura tollenda.
§. IV. Turba, quas excitauit Amatus Pseudo-Ma-
rius. Pœna eiusmodi impostorum. Ara D. Iulio
in busto posit a & euersa. Iacobi Gutherii errores
bini. D. Iulio sanguine humano sacrificatur.
§. V. Interpolatio actorum & commentariorum D.
Iulii. Leges pernicioſa quas M. Antonius sub no-
mine Iularum proposuit. Lex de ciuitate Siculo-
rum. Alia de restitutione exulum.
§. VI. Leges Antoniae maximam partem reipubl. no-
xiæ. Lex iudicaria siue de tertia iudicum decu-
ria. Alia de prouocatione eorum, qui de vi & ma-
iestate damnati effent. Alia de prorogatione pro-
vinciarum.
§. VII. Lex Antonia de agris diuidundis. Alia de
Pontifice maximo a collegio creando. Francisci
Hottomanni error. Alia lex de permutatione pro-
vinciarum.
§. VIII. Leges & decreta de dñinis Casaris Dicta-
toris honoribus.

)C

§. IX.

- §. IX. M. Brutus legibus soluitur. Prætor urbanus plures quam decem dies ab urbe abesse non poterat. Cicero ius libera & legationis habens proficiuntur. Varia de legationibus liberis.
- §. X. Cæsar Octavianus reipubl. opem fert aduersus M. Antonii furores. SCtum ne Cæsar puer adpelletur. Euocatorum origo. Legatio ad Antonium. Ser. Sulpicius ICtus in ea moritur. Edictum Ædilium de funeribus. Paulus Manutius & Iacobus Gutherius refutantur.
- §. XI. Cæsar Tribunatum plebis contra leges petit. A Senatu legibus annariis soluitur. Consulatum obtinet.
- §. XII. Lex Pedia in eo Consulatu aduersus Cæsaris percaßores lata. Decemviri rationum gesti a M. Antonio Consulatus repetundarum constituti.
- §. XIII. Triumuirorum fœdus. Eorundem nomen. Ille fere erant ac apud Lacedæmonios aquosæ. Iosephi Scaligeri lapsus. Qualis Triumuirorum magistratus fuerit. Qui eorum edictis non teneri debebant, ius a Senatu soluendi erant. Interpres Appiani reprehensus.
- §. XIV. Vectigalia a Triumuiris irrogata. Conseruntur cum vicesima hereditatum. Recte Augustum existimasse, vectigal hac vicesima lenius nullum introduci posse.
- §. XV. Leges sub Triumuiris latae. Lex de lictoriis Vestalium. Lex Falcidia. Ostenditur eam fu-

fuisse astutum Triumuirorum inuentum, ad facilius obtainendum, quod hereditatibus ex testamento imposuerant vectigal.

§. XVI. Senatus & magistratus seruis inquinati.

Senatores orci. Maximus seruus questurae candidatus. Barbarus Philippus seruus Prator. A Iosepho Scaligero discessum. Dio emendatus. Serui inter milites tunc frequentissimi. Lex ne quis Senator gladiator esset. Varia de Senatoribus & e-quitibus in arenam scenamue prodeuntibus.

§. XVII. Lex de mortuis intra duo millia passuum ab urbe non cremandis. Liuia pregnans a marito Cesari elocatur. Communio uxorum. Si-
mile exemplum in M. Antonii & Octavia nuptiis.

§. XVIII. Triumuiri potestatem in alterum quinquennium sibi prorogant. Serui in Pompeianum exercitum profugi dominis redduntur aut necantur. Summa Augusti sollicitudo, ne ciuitas mancipiis inquinaretur.

§. XIX. Pompeo Consulatum per vicarium gerere contra pristinum morem conceditur. Prator urbanus alias absentis consulis munus gerit. Consularia ornamenta tunc concedi solita. In coloniis dantur etiam ornamenta decurionalia. Quomodo accipiens sit titulus decurionum in antiquis lapidibus libertis datus. Fabretti & Blanchini sententia expenditur. Pueri magistratus. Astrologi fugati. Sicut ne Senator latrociniis accusetur.

§. XX. Biblioteca Octavianæ. Bibliotheca Iuris ci-
uilis ab Augusto congregata. Varia eius suplectiles
libraria. Bibliotheca Iuris in templo Apollinis Pa-
latini recondita.

§. XXI. Antonii testamentum ab Octavianō aperi-
tur. Cur hoc factum adeo reprehendatur. Eo
laſam esse Vestalium sanctitatem. Mos Romano-
rum testamenta aliasque tabulas apud Vestales
deponendi. Cæsar in bello contra Antonium feci-
lis.


§. XXII. Monarchica Cæsaris Octavianī potestas.
Regis & domini titulum recusat. Expenditur
notissimus Dionysii Periegetæ versiculus quo Au-
gustus & filii eius C. & L. Cæsares reges vel do-
mini appellantur. Quid propriè sit à dæ. Non in-
telligi hoc versu Augustum eiusque filios.

§. XXIII. Census Senatorum. Numerus patritio-
rum suppletur. Lex Sania. Refutantur qui eam
pro SCto habent.

§. XXIV. Conclusio.



§. I.



§. I-

Dni Augusti acta faciemque iuriis Romanorum publici & priuati, quæ cum ipse rerum poteretur, fuerit, exponere animus erat. Cuius tractationis initium non altius quam a sexto ipsius Consulatu repetendum esse videri posset. Ceteros enim annos a nece Cæsaris usque ad a. u. c. DCCXXVI. triumviratus fere occupat, maximaque rerum omnium perturbatio, vt qui iuris illorum temporum historiam texeret, non legum faciem delineandam, sed trium hominum libidinem & furores describendos sibi sumisse videretur. Postquam vero M. Antonio ad Aetium victo, Lepidi etiam auctoritate obsolescente summa rerum ad Cæsarem Octavianum venerat, ipse sexto demum Consulatu potentie securus quæ Triumviratu iussaret, aboleuit (a) & tunc

Pace data terris animum ad ciuilia vertit

Iura suum legesque tulit iustissimus auctor. (b)

A

At-

(a) Tacit Lib. III. Annal Cap. XXVIII. (b) Ovid. Metamorph. XV. v. 832.

Atque vti rectius de Triumuirorum ætate usurpari potest, quod de temporibus Cæsarianis iactasse Cas-
sium APPIANVS auctor est (c) οδεις νέοις, οἱ δὲ αριστορε-
γνοὶς καὶ τοῖς, οἱ δὲ δημοτικοὶ τοῖς, ita ab hoc Consulatu
plane alia rerum facies, quando restituta vis legi-
bus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, leges la-
tæ salubriter, vtiliter emendatae sunt. (d) Itaq; non ma-
gnopere laborandum videbatur de iis temporibus,
quibus ob armorum strepitum siluere leges, aut de iis
iuribus, quæ turpissimis Triumuirorum consiliis fi-
xa, pacata post republica æmulisque remotis Augu-
stus refixit. At sunt tamen, quæ nec in his temporibus
exponendis operam ludi persuadere queunt. Præ-
terquam enim, quod aliquando iuuet fata legum
in turbato reipublicæ statu nosse; tum etiam non
omnia quæ sub Triumuiratu statuta sunt, cum eo
statim exspirarunt, sed quædam vtiliter cauta nec
ab Augusto cum ceteris abrogata diuturnam obti-
nuerunt auctoritatem. Iam tum quoque in mul-
tis fundamenta status monarchici iacta sunt, qui-
bus summa, quam sensim sibi comparauit Augu-
stus, potestas inniteretur. Quamobrem opera pre-
tium nos facturos existimauimus, si facto ab Idi-
bus illis Martiis initio historiam iuris publici & pri-
uati, quo tune vii sunt Quirites, paucis persequa-
mur.

§. II. Itaque ut primum, quoniam Augusti præ-
sertim acta exponere consilium est, ab eo ordiamur,
quod

(c) Appian. *de bell. civil.* Lib. III. p. 1926. (d) Vellei.
Paterc. Lib. II. Cap. LXXXIX.

quod ipsi reipublicæ capessendæ & ad summam potestatem adspirandi occasionem dedit; satis inter omnes constat, Octauium nostrum testamento C. Iulii Cæsaris in Nomen & familiam fuisse adscitum. Cuius adoptionis ratio paullo accuratius considerari meretur. Ac primum quidem sapienter a Cæsare hunc adoptandi modum prælatum esse reliquis NICOLAVS DAMASCENVS (e) recte iudicat. Ita enim de Cæsare: ἔγω μὴ οὐ καὶ πεῖπεν πᾶσας ἀποδέξαι, διδώσεις εἰς μη ἐλπίδη τοσάντης τύχης ἐπιφθεῖς ὁ φιλεῖτος συδαιμόνιος τρεφουμένος ἐπεσθεῖ, ἐν λαθοτοις ἀρετηῖς, καὶ ἐκδιαγνθεῖν, συνέκειφε τὴν γνώμην. Constituerat quidem & ante eum adoptare, sed metuens ne tanta spe elatus, quod solent qui in summa felicitate educantur, a virtute desisceret, vitamque mutaret, arcanum tenuit hoc consilium. Simili fere postea consilio Pertinax Imp. filium, cui iam natales imperium destinauerant, educavit, quippe qui teste DIONE (f) οὐκ ἡθελοτε, τὸν οὐκ πέπειθαναν οὐτε ὄγκο (ita enim legendum esse viri doctri recte monent, cum vulgo legatur ὄγκο) καὶ τὴν ἐλπίδη τὴν τῷ ὄνοματος διαφθερνα. Cæsar igitur testamento C. Octauium ex dodrante heredem instituit, in ima vero cera etiam in familiam nomenque adoptauit, quod præter SVETONIUM (g) permulti veterum auctorum prodiderunt, quorum testimonia collegit BARNAB. BRISSONIVS. (h) Quæ cum Octauio Apolloniæ tum degenti & Cæsarem in Parthos moturum præstolanti simul cum patris nece nunciarentur, non dubitauit sta-

(e) Nicol. Damasc. de vit. Aug. c. XII. LXXIII. p. 833.

(f) Dio lib.

(g) vit. Iul. Cæs. cap. 83.

(h) de formulis

tim & hereditatem adire & acceptare nomen. Hac de re, quam ipse tamen retulerat (*i*) subdubitare DIO(*k*)videtur, quando Octauium nomen Cæsaris demum lege de adoptione sua lata, vel tantum *ex non nullorum sententia ὥστε λιγὸν δοκεῖ* statim post patris mortem adita etiam hereditate assumisse commemorat. Veteres sane magno consensu omnes nomen Cæsaris ab Octavio statim cognitis auunculi nece populique voluntate assumptum esse commemorant, ut APPIANVS (*l*) PLVTARCHVS (*m*) FLORVS (*n*) VELLEIVS (*o*) aliique. Quod vti dubio carere existimo, ita amplius dispiciendum est, an iure Octauius ante Legem curiatam, qua alias arrogationes confirmabantur se pro Cæsaris filio nominis herede gesserit, id quod potius negandum putarem. Sunt equidem, qui adoptionem per testamentum, aliquod certe, quamquam non plenum ius filii dedisse existimarent, ita vt tantum iurum quorundam peculiarium obtinendorum causa v. c. iuris patronatus in paternos libertos opus fuisse lege curiata. Et fateor, qui ita sentiunt præsidium aliquod reperire apud APPIANVM (*p*) qui ideo tantum testamentariam Octavii adoptionem lege curiata fuisse confirmandam censem, vt ipsum C. Iulii Cæsaris ditissimi sequerentur liberti. Ast nec aliquod ius filii nec ius nominis se rendi Octavio ante solemnem illam legem competuisse putata.

(*i*) Dio. Lib. XLV. p. 271. (*k*) Id. Lib. XLVI. p. 321.
sq. (*l*) de bello ciuil. Lib. III. p. 833. (*m*) in vita Brut. p.
994. (*n*) Epitom. Liuiian. Lib. CXVII. (*o*) Lib. II. His.
Cap. 60. (*p*) de bello ciusli Lib. III. p. 947.

tauerim. DIO (q) certe οὐδέποτε ἀνεβῆτον τὴν πατριγορίην
αὐτὸν εἰπεὶ πάντας εἶχε, πεῖν δὲ ἐκ τῆς πατριανής αὐτὸν ἔθεσαν
ουπον. Neque constanter hoc (Cæsaris) nomen gerebat, ne-
que ab omnibus ita appellabatur, antequam adoptio more
maiorum esset confirmata. Et hoc est quod ad Atticum
CICERO (r) scribit: Nobiscum hic per honorifice & amice
Octavius, quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus
non, itaque ne nos quidem, quod ita fieri vix potuisselet si
Octauio testamentum aditaque ex eo hereditas iu-
ra nomenque filii tribuissent. Nec quemquam ta-
men mouere potest, quod eum aliis locis Cicero in Se-
natū & ad Quirites ante latam de adoptione legem
Cæsarem Caii filium appellauerit, præsertim ubi de
Octauio ob res præclare gestas ornando sententiam
dicit: (s) Quod C. Cæsar Caii filius pontifex, pro prætore &c.
Nam sicut Octauius nomen Cæsaris non iure, sed ut
eo faceret ὄνυμα γενίας δεξιός, (t) & ut veteranorum
amicorumque patris animos sibi conciliaret, as-
sumpsit; ita Cicero, qui antea, ut diximus, illud no-
men Octauio dare dubitabat, mox quando adole-
scens M. Antonii furores reprimere eoque ipso de re-
publ. bene merere visus est, constanter eum C. Cæsa-
rem Caii filium appellat. Ita turbatus reipubl. status
etiam in hac adoptione aliquam produxit ἀνωμα-
λίαν, adeo ut nunc Octauius ab omnibus, imo & a
BRUTO (u) cuius omnium maxime intererat, ne cum
nomine etiam patrem vlciscendi quædam cupido
ad eum transiret, Cæsar appellaretur. Verum
si ita Octauio per testamentum in nomen heredi-
ta-

A 3

(q) Lib. XLVI. p. 322. (r) Lib. XIV. ep. 12. (s) Phi-
lipp. V. cap. 17. (t) Plutarch. in Bruto cit. I. (u) Cicer.
Ep. ad fam. Lib. XI. ep. 10.

tatemue adscito opus adhuc fuit lege curiata, quid est quod Tiberius ab Augusto iam more maiorum arrogatus, testamento demum patris nomen gere-re iussus sit? quid quod Liuiae idem obtigerit? si nulla in adoptione testamenti vis. Sane SVETONIUS (x) *Heredes*, inquit, *instituit primos Tiberium ex parte dimidia & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit.* De Tiberio falsum est, quod de-mum ex testamento datum ipsi acceptumue sit no-men, id enim testibus tot eius numis viuo Augusto patre cisis simulac arrogatus erat gessit, & cum Ca-storis ac Pollucis templum dedicaret, se Claudianum inscripsit auctore DIONE (y) haud secus ac pater qui post adoptionem Octauii nomen commutauerat in Octauiani. Accuratius ergo TACITVS (z) de sola Liuia: *Tiberium & Liuiam heredes habuit, Liuia in familiam nomenque Augustae assumebatur.* Et profecto illa postea Iuliæ & Augustæ nomen gessit. Ita ve-teres lapides (a) ita fragmentum fratum Arualium. (b) Neque tamen, quod sciam, vllibi legitur Liuiae adoptionem lege curiata fuisse confirmatam. Nimi-rum quamuis in tanta principum potestate & senatus adulatione pristini moris vestigia leta non sint; tunc tamen, cum Octavius patris hereditatem adiret, o-portebat eum potentia nondum securum ius filii non armis solum sed & legibus, praesertim contra Antonium, qui ut FLORVS testatur (c) cunctis artibus cooptationem Iuliæ gentis inhibere non desinebat, munire. Itaque ut paucis totum hoc arrogationis negotium ex-

(x) *vii. Aug. Cap. 101.* (y) *Lib. LV. p. 567.* (z) *Lib. I. Annal. Cap. 8.* (a) *Gruteri Inscript. p. CCXXXIV.* (b) *Id. p. CXVII.* (c) *Lib. IV. Cap. 4.*

expediāmus, Octauius cognitis auunculi testamen-
to rerumque urbarum statu nomen Cæsarī statim
assumisit, non iure sed ut paternorum amicorum sibi
conciliaret animos, quod haec tenus ostendimus. Po-
stea teste APPIANO (d) apud C. Antonium M. Fra-
trem prætorem urbanum se accipere adoptionem
professus est, idque per scribas in acta referri cura-
uit. Nimirum prætoris auctoritatem in adoptio-
ne necessariam fuisse ibidem Appianus notat, quod
quidem de ea quæ sit per æs & libram verissimum
est, cum sit legis actio; de arrogatione vero, qua-
lis est haec Octauii, dubitauerim. Denique lata est
Lex curiata, Octauiusque ^(e) ~~τὰ νομίσματα~~ in famili-
am Cæsarī transit (e) idque tunc singulare tuit,
quod Octauius cum Q. Pedio Consul factus,
ipse de sua arrogatione legem tulerit. APPIANVS
(f) ~~τὸν δὲ τὸ γυναικεῖον εἰσενοίσθι τὸ πατέρι ἀνδρός~~
~~κατὰ νόμου οὐρανοῦ εἴη διά τοι γένεσιν τὸν θεόν.~~ Sa-
crist peractis rursus seipsum in patris familiam inseruit lege
curiata, oportet enim arrogationem per populum (male inter-
pres per plebiscitum) fieri. Atque ita vere Cæsarī filius pa-
tris ad exemplum strenue se composuit ad opprimen-
dam iuxta æmulos suos populi Romani libertatem.

S. III. Iam ut filium rerum gestarum sequamur,
postquam perpetrata nece Cæsaris percussores in
Capitolio, Antonius veste consulari abiecta salu-
tem sibi quæsuerant, magnaque rerum esset con-
fusio, ut iterum Lepidus forum militibus occupa-
uit Antonius confirmato animo Senatum in ædem
Telluris conuocat. Ibi a se fundamenta pacis ia-

(d) *Lib. III. de bello ciuili* p. 866. (e) *Dio Lib. XLVI.* p. 521, (f) *Lib. III. de bello ciuili* p. 947.

cta esse Cicero gloriatur factō SCto, quo omnium discordiarum memoria aboleretur, seu vt dīo ait (g) *μηδενι μηδενι ανησαι* more & verbis ab Atheniensibus petitis. (h) Quod vti præclare de republ. sperare iubebat, ita opus videbatur militum, apud quos gratissima manebat Cæsaris memoria, animos placare, qui magno in metu versabantur, ne iis priuarentur, quibus erant a Cæsare donati. Nimirum in dubium vocabatur, ferendane sint an rescindenda omnia Cæsaris acta, & ita, quod ad nos proprie pertinet, magnum imminebat Legibus Iuliis periculum. Inter acta enim, quæ quis togatus in republ. gessit, leges in primis eminent. Ita CICERO (i) Ecquid est. quod tam proprie dici possit actum eius qui togatus in republica cum potestate veriatus sit quam lex? Quare acta Gracchi, leges Semproniae proferentur; quare Sulla, Corneliae; quid? Cn. Pompeii tertius consulatus in quibus actis constituit, nempe in legibus; a Cæsare ipso si quereres, quidnam egisset in urbe & toga, leges multas responderet se & prælaras tulisse. Ita qui Cæsarem *τυραννον*, percussores eius *τυραννοκτονους* clamabant, non poterant non vrgere actorum eius & ita in primis Legum Iularum rescissionem. Nihil enim, (vt iterum Ciceronis acerrimi huius sententiae defensoris verbis (k) vtar) tam σύλλογον, quam *τυραννοκτονους* in cœlo esse, tyranni facta defendi. Omnium profecto legum iniquissima dissimillimaque legis Romæ habebatur, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulerat (l) VT OMNIA QVAECVMQUE ILLE FECISSET ESSENTRATA; ita enim lege ty-

(g) Dio. Lib. XLIV. p. 257. (h) Cicer. Philipp. I. cap. 1. (i) Philipp. I. cap. 7. (k) Cicero ad Attic. XIV. 6. (l) Cicer. agrar. IV. cap. 2.

tyrannus atque regnum in republica constitutum esse manifestum erat. Verum ut Valeria illa Lex aliquam habebat excusationem, quod non tam hominis quam temporis lex esse videretur; ita quicquid clamitaretur, actis Cæsaris probatis & confirmatis Romam non regno sed rege tantum libera-tam videri, (m) omnesque adhuc regios tueri nutus, otii tamen pacisque caussa ea defendi necesse erat. (n) Factum SCtum (o), lata de Cæsaris actis lex (p), iisque sedati militum animi, simulque confirmata, qua impugnari coepерat, Legum Iularum auctoritas. Ne vero populo Romano metuendum esset, ne quis in posterum viuus regnum armis occupet, mortuus ob pacis otiumque studium regnet, illud tollendum videbatur, quod vtrumque, Cælarem nimirum atque Sullam adeo armauerat, nempe Dictatura. Hinc ejus honos in perpetuum sublatus est (q) & ut APPIANVS referit, ὁ οὐρανος ἐψηφισας μη εἰσειν τῷ κατὰ μαθηματικοῖς αἰτίαις τοῦ δικτυωτοῦ δέχεις μήτε εὐφρόσειν, μητε λαβεῖν διδούσεν ἢ τὸν ἐκ τῶν δὲ λυτρώσαντος νηπονεῖ πέδος τοῦ ἐντυχόντος αἰνιγμάτος. Antonius retulit, ne cui licet villam ob causam de Dictatura referre, neve cui dictaturam oblatam accipere, qui contra fecerit, eum a quovis impune posse interimi. Locupletissimus testis nobis est Cicero id & Lege & SC, referente M. Antonio Consule fuisse causa. Ad singulare enim, inquit, (r) M. Antonii factum

B

festi-

(m) Cicer. Ep. famil. Lib. XII. ep. I. (n) Cicer. ad Attic. Lib. XVI. ep. XVI. ad Plancum. (o) Dio Lib. XLIV. p. 257. (p) Cicer. Philipp. V. c. 4. (q) Epitom. Liuiam. Lib. CXVI. (r) Cic. Philipp. I. c. 1.

festinat oratio. Dictaturam quæ vim iam regiæ potestatis obfederat, funditus ex republ. fūstulit de qua ne sententias quidem diximus. Scriptum Senatusconsulum, quod fieri vellet, attulit. Quo recitato auctoritatē eius summo studio secuti sumus, eique amplissimis verbis per Senatusconsul-tum gratias egimus. conf. Philipp. V. 6. 4.

§. IV. Itaque ad recuperandam libertatem quasi signo quodam sublato, prospiciendum erat, ne antiqui & sopiti dudum motus Marianæ factiois re-crudescerent, præsertim cum Amatius humili-mæ fortis homo, vel vt a VALERIO MAXIMO (s) ad-pellatur Herophilus equarius medicus, qui se C. Ma-rii filium ferebat, non tantum apud credulam ple-brem seditiones moueret, sed & a coloniis veterano-rum compluribus & municipiis splendidis, collegi-isque fere omnibus patronus adoptaretur. Si qui sibi falsum nomen imposuerit, genus, parentesue finixerit, quo quid alienum interceperit, posse-de-rit, (t) ex recentiore SCto Legis Corneliiæ de falso poena coērcebatur. Eo vero tempore, de quo nos agimus, diuersimode in eiusmodi impostores ani-maduersum est. C. Iulius Cæsar sub quo iam cœ-perat caput extollere ille Pseudo-Marius, decreto suo eum extra Italiam relegavit. (u) Qui cum post Cæsaris necem in urbem rediisset, & de Senatu in-terimendo cogitaret, imperfectus est, vncusque ipsi impæctus. (x) Quod quamvis VALERIVS MAXIMVS iussu Senatus factum esse velit, notauit tamen AP-PIANVS (y) solius id M. Antonii, aut certe, vt Ci-cero

(s) Lib. IX. Cap. XVI. n. 1. (t) L. 13. D. ad L. Cornel. de falſ. Paul. Rec. sent. V. 25. 11. (u) Val. Max. c. 1. (x) Cic. Philipp. I. c. 1. Epitom. Liuian. CXVI. (y) Lib. III. de bell. ciuil. p. 856.

cero vult simul collegæ eius Dolabellæ facinus fuisse.
 Et quamquam illud *παρεγνων* videbatur, interfactus enim erat indicta caussa, lubenter tamen, ut perutiliter reipublicæ probauit senatus (z) laudauit quoque passim CICERO. (a) Alios postea eiusmodi impostores Imp. Augustus triremibus affixit, vel simili sustulit suppicio, vt nonnullis nos docuit exemplis VALERIVS MAXIMVS (b) conf. ad locum PAVLLI supra allegat. notam CVIACRI. Quoniam vero is qui C. Marium & ita aliquam cum Cæsare interemto cognationem simulabat, coacto hominum audacium globo magnum eius percussoribus minitabatur malum, merito prospiciebat severitas consularis. Saxum enim crucemque Edicto Dolabella interminabat ei, quicumque aliquem eorum læserit, iisque suppliciis seruos ac ingenuos qui officinam, in qua Cæsar's statuæ conflabantur, incenderant, afficiebat. CICERO (c) *Mibi quidem, inquit, videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre posse, quis enim audiat violare proposita cruce aut Saxo?* quam severitatem & alibi prædicat. (d) Neque minus illam, qua idem Dolabella aram a plebe eodem impostore duce Cæsari interfecto in busto erectam, euerterat. Errat in moribus positum Romanis erigere Diis Manibus aras sive eo, quo condita erant ossa loco, sive alio, de quibus eruditæ & copiose egerunt viri doctissimi IAC.GVTHERIVS (e) HENR.NORISIVS (f) & BERN.

B 2

MONT-

(z) Appian. cit. l. (a) Philipp. I. c. 1. ad Attic. Lib. XIV. ep. 8. (b) Lib. IX. Cap. 16. (c) ad Atticum XIV. 16. (d) Philipp. I. c. 2. ad Atticum XIV. 15. (e) de iure Man. Lib. II. Cap. 19. (f) Cenotaph. Pisani. Diff. III. p. 381.

MONTFAVCONIVS. (g) Cum vero alias vel vnica, quibus Diis Manibus, vel binæ, quarum altera Diis superis sacrificaretur, collocari solerent aræ; Amatius & qui eum sequebantur ex plebe Cæsari ipsi properata quadam ~~propositio~~ sacra eo loco facere cœperant. V. C. IACOBVS GVTHERIVS (h) contra DIONIS (i) & APPIANI (k) auctoritatem id quod plebs in honorem Cæsaris extruxerat aram fuisse negat, Ciceronis testimonio motus, qui (l) binis locis non aram sed columnam occiso erectam esse memorat & execratur. Eam vero columnam haud aliam esse putat, quam quæ teste SVETONIO (m) a plebe prope XX. pedum lapidis Numidici in foro statuta erat; in quo bis lapsum puto virum doctissimum. Quamuis enim Cicero de columna tantum loquatur, Brutus tamen & Cassius Prætores in litteris eodem tempore ad Antonium Consulem datis (n) diserte de ara posita & euersa scribunt, *putesne nos, inquietentes, tutos fore in tanta frequentia militum veterorum, quos etiam de reponenda Ara cogitare audimus.* Dein id quoque falsum esse videtur, columnam una cum ara præeunte Amatio Cæsari positam, non esse diuersam ab illa cuius mentionem fecerat SVETONIVS. Ad hanc enim, ut ipse TRANQVILLVS auctor est longo tempore plebs sacrificare votaque suscipere, & controversias quasdam interposito per Cæsarem iureurando distrahere perseueravit; illam de qua hic agimus mox euerterat Dolabella: *hæc duce*

(g) Itina Ital. p. 202. (h) de iure Mamium. Lib. II. Cap. V. & XIX. (i) Lib. XLIV. p. 267. (k) Lib. III. de bello civili. p. 356. (l) Philipp. I. cap. 2. ad Attic. XIV. 15. (m) vita Jul. Ces. cap. 85. (n) Cicer. Ep. fam. Lib. XI. 2.

duce Antonio Consule in rostris cum *imperatōnē PA-*
 RENTI OPTIME MERITO posita erat^(e); illam
 ut modo dictum est Amatius cum turba sua *in tō*
τῆς περγάς χώρα erexerat. Ita perspicuum, opinor, e-
 rit, & aram & columnam ab Amatio erectam, a
 Dolabella euersam esse, diuersamque fuisse ab
 altera M. Antonii, quæ diutius plebi diuinos ho-
 nores Cæsari exhibituræ inserviit. Ob illius vero
 euersionem ita Consulem CICERO prædicat *(p) de fa-*
xo; in crucem; columnam tollere; locum illum sternendum
locare; quid queris? heroica! Nimirum consul loco,
 cui columnæ araque impositæ fuerant, ad sternen-
 dum locato demonstrare voluisse videtur, eum esse
 purum minimeque aliqua religione obstrictum.
 Ceterum illa Dolabellæ *χριστία* parum profuit rei-
 publ. decretis postea Cæsari honoribus diuinis, ex-
 citatisque aris nouis, in quibus hostias bonis omni-
 bus execrandas patri incendit filius Cæsar. Erat
 aliquo sacrificium humani sanguinis adeo Roma-
 nis impium, vt qui hominem immolauerit, sanguis
 neue eius litauerit tempore PAVILLI^(q) humilior be-
 stiis obiiceretur, honestior capite puniretur. Tunc
 vero ipse Cæsar cum in bello aduersus L. Antoni-
 um fiducia Consulatus fraternæque potentiae res no-
 uas molientem, Perusiani obsideret, caperetue, tre-
 centos ^(r) vel vt dicitur ^(s) auctor est quadringentos
 vtriusque ordinis patri mactavit, hostiarumque
 more ad aram D. Julii tot senatores & equites

Videntes rapit, inferias quos immolet umbræ.

B 3

§. V.

(e) Cic. ad fam. XII. 3. (p) ad Attic. XIV. 15. (q)
 Paullus rec. sent. V. 23. 16. (r) Sueton. vit. Aug. Cap. 15.
 (s) Lib. XLVIII. p. 5614

S. V. Ea vero consilia omnia, quæ de recuperanda liberrate nonnulli optimatum ceperant imponens M. Antonii dominandi cupido turbabat. Qui cum post Cæsaris necem primum libertati favere simulasset, plebisque animos in multis offendisset, mox contra eam a senatu satellites naetus, palam nouas res moliri, interpolatisque Cæsaris commentariis multarum ciuitatum atque dynastarum gratiam sibi conciliare vel potius emere cœperat. (t) Acta Cæsaris pacis & otii causa senatum invitum probasse modo ostendimus; ea vero confirmatione Antonius, qui omnia quæstu suo, non autem Cæsaris dignitate metiebatur ad stabiliendum, quod machinabatur, regnum, tollendasq; & fanciendas sibi utiles futuras leges abutebatur. APPIANO teste (u) actorum Cæsaris interfecti commentarii τὰ ἡπειρωταὶ τῆς Δέκαῆς in Antonii ædes transferebantur. Faberium quoque Cæsaris scribam ita sibi habebat obsequentem, ut, quicquid placuisse, addere, demere vel mutare posset nullo negotio. Evidem Senatus ex Seruui Sulpicii sententia ipso quoque Antonio volente decreuerat οὐδεποτε στάλην ὀσκῷ τὸ καίσαρος τυγχανεῖσθαι η ἀναρεθῆναι (x) vel ut CICERO (y) ait ne qua tabula post idus Martias ullius decreti Cæsaris aut beneficii figeretur. Quod SCtum cum diu non ferret Antonius, placuit tandem ut ipse Kalendis Junii de Cæsaris actis cum consilio cognosceret. (z) Et quamquam nihil tum, nisi quod erat notum omnibus in C. Cæsaris commentariis reperie-

(t) Appian. *de bell. ciuil.* Lib. III. p. 858. (u) *de bello ciu.* Lib. II. p. 824. (x) Dio Lib. XLIV. (y) Philipp. I. 1. (z) Philipp. II. 39.

riebatur, subito tamen mutata omnia, chirographis & decretis commentitiis ab Antonio venditæ immunitates, ciuitates liberatæ, prouinciae vniuersæ ex imperii populi Romani iure sublatæ, exules reducti, falsæ leges C. Cæsaris nomine & falsa decreta in æs incisa & in Capitolio fixa sunt; eaque omnia quasi ex actis Cæsaris sine consilio ne expectato quidem, quem SCtum præfixerat, termino M. Antonius comminisci ausus est. Acta alicuius, qui magistratum gerit, vel publica sunt vel priuata; ad illa leges, ad hæc chirographa, testamenta &c. referuntur. (a) In hæc quid sibi permiserit Antonius non est huius loci prolixè inquirere; multis enim in ipsius & vxoris Fulviae facinora Cicero in Philippicis inuehitur; sed id tantum agamus, vt quibus legibus non solum Cæsaris acta sed & vniuersam rem publ. peruerterit, patescat. Primum adstringebat C. Cæsari legem quasi in comitiis latam, vt Siculi ciues Romani fierent, de qua tamen ille viuus ne quidem cogitauerat. Quamuis enim Cæsar Dictator primus extra Italiam ciuitatem Romanam dare cœperit, eiusque conferenda ius, quod antea ne senatus quidem nisi iussu populi exercebat, suo vindicauerit arbitrio; quamuis etiam idem Cæsar Latinitatem viuus Siciliæ concessisse videatur; nunquam tamen de ciuitate ipsi danda somniauit, quam nunc quasi ex ipsius commentariis impertiebat magna pecuniæ vi corruptus M. Antonius. Ita CICERO (b) Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam iudicem, multa illes Cesar, neque me inuito: et si Latinitas erat non ferenda:

Verum-

(a) Cicero Philipp. II. c. 42. (b) ad Attic. XIV. 12.

Verumtamen! Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a Dictatore comitiis latam qua Siculi ciues Romanis: cuius rei viuo illo mentio nulla. Nihilominus immortalis nominis vir EZECH. SPANHEMIVS (e) ex PLINIO (d) obseruat plerasque Siciliae ciuitates longo post tempore Latinæ tantum fuisse conditionis. Cuius rei caussam subesse aliam puto nullam, quam quod anno sequente, vt DIO testis est (e), Vibio Pansa Consule id agente Leges & acta Antonii fuerint rescissa. Altera lex a Cæsare numquam lata, sub eius nomine tamen ab Antonio promulgata, erat de exulibus. Hinc ex eo CICERO querit: (f) Et de exulibus legem quam fixisti Cæsar tulit? Ante vero quam Antonius Cæsaris actis ad suam ceperat abiuti libidinem, de nullius fere exulis redditu cogitatum erat. Num qui exules (inquit idem CICERO (g)) restituti? unum aiebat, præterea neminem. Postea subito mutatus commentitia hac lege omnes omnino restituit, vt vix tres aut quatuor omissi essent, qui in simili calamitate fuerint. Et hoc ipsum in ea sanctione pungit Ciceronem, quod nec hos eadem dignos habuerit misericordia, vt ut etiam reliquorum redditus, quorum caussam dissimilem Cæsar iudicauerit, fuerint inquinati.

S. VI. Ac his quidem legibus sub Iuliarum nomine promulgatis Cæsaris acta lege ac SCto confirmata imponitor Antonius inquinavit. Acceserunt aliæ suo, vt arbitror nomine latæ, minime tamen in republ. ferenda, tum quod ad subruenda quæ seruari Senatus populusque Romanus iusserat

(e) Orb. Rom. Exercit. I. cap. 14. (d) Lib. III. c. 8. (e)
Lib. XLVI. p. 315. (f) Phil. II. 38. (g) Phil. I. cap. 1.

rat Cæsar's acta erant comparatae, tum quod per vim latæ, Ioue tonante auspiciis omnibus neglectis. Eminebat inter eas **LEX IUDICIARIA** seu de **tertia iudicium decuria** quam non Cæsar's sed suo nomine ab Antonio promulgatam esse ideo fit verosimile, quod ipse eam in mandatis L. Pisoni & L. Philippo a Senatu ad se legatis redditis suam adpellauerit. (h) Nullæ sane sunt leges, quæ æque crebris in republ. Romana mutationibus fuerint obnoxiae, quam iudicariæ. Satis enim inter omnes constat iudicia primum penes Senatores fuisse, postea lege Sempronia ad equites translata, inde Seruilia, Liuia & Plautia inter vtrumque ordinem communicata esse, donec Aurelius Cotta tertiam decuriam ex tribunis ærariis adiiceret, quam Cn. Pompeius sua lege seruauit, Cæsar Dictator, ut equites & Senatores soli tamquam purissima pars ciuitatis iudicarent, sustulit. (i) In iudice autem & fortunam spectandam esse & dignitatem tum reipubl. utilitas suadebat tum Iulia lex iuslerat. Merito ergo de Antonia CICERO: (k) *Quid? ea lege, que promulgata est de tercia decuria iudicium, nonne omnes iudicarie leges Cæsar's dissoluuntur, & vos acta Cæsar's defenditis, qui leges eius eueritis?* Nimirum in hanc decuriam centuriones legebantur, neque id nouum videri poterat, patetebat enim eis iudicatus Legibus Aurelia, Pompeia & Iulia. Id non ferendum erat, quod censum antea finitum tolleret Lex Antonia, & vnumquemuis, qui ordinem duxisset, quacunque demum fuit fortuna, in hanc decuriam allegi iuberet. Dein

C præ-

(h) Cicer. Phil. VIII. 9. (i) Sigon. de antiqu. Iure Civ. Roman. Lib. II. c. 18. (k) Phil. I. c. 3.

præter hos iudices constituebantur manipulares, & alaudæ ex ea legione, quam nomen ipsum prodebat, non esse Romanam, sed ex Gallis Transalpinis lectam. (l) Quamvis vero ita sordidissimus quisque nec opinans ad iudicandum vocaretur, tamen his haud contentus Antonius, cum antesignanos, manipulares & alaudas iudices se constitutorum professus esset, aleatores, exules & Græcos legit, (m) homines partium suarum audacissimos, quos aliter saluos esse non posse prouidebat. Festiu de eiusmodi Græculo iudice CICERO: (n) Quæro igitur si Lysia des citatus iudex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ & Athenis res iudicare: accipietne excusationem is, qui questioni præterit Græculi iudicis modo palliati modo togati? An Atheniensium antiquissimas leges negliget? Scilicet hæc erant illa tempora, vt eiusmodi sordidorum iudicium nomina ad ærarium deferrentur, iisque crederetur regnum iudiciale, magna illa pars reipubl. iam labascentis & debilitatæ. Tanti tamen pernicioса Lex M. Antonio Cof videbatur, vt in ea ferenda quævis ~~dormitio~~ illudque antiquissimum ius, quod loue tonante cum populo agi nefas sit, negliceret, deque ea maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ageret, ac inter præcipuas pacis leges, quas L. Pisoni & L. Philippo reddiderat, eam quoque praescriberet: ne Lex sua iudicaria abrogetur. Altera rogatio qua Cæsar's acta euertebantur erat de provocatio-
ne. Nempe popularis homo M. Antonius propugna-

(l) Sueton. vit. Jul. Cæs. cap. 24. (m) Philipp. V. cap. 5.
(n) ibidem.

gnacula illa ciuium Romanorum Leges Porcias & Sempronias noua munire constituerat accessione, sanciendo ut de vi & maiestate damnati, si velint, ad populum prouocent. (o) Ita dum iis prouocatio dabatur, quibus aqua & igni interdici Leges Iuliæ iusserant, non solum acta Cæsaris rescindebantur, sed id etiam agebatur, vt nemo ex istis legibus reus fieret. Cum enim nemo facile reperiri posset, qui horum criminum reum vel accusando vel condemnando multitudini a reo conductæ se obiicere auderet, manifestum erat, has leges plane tolli, & impediri quæstiones aduersus seditiosos ciues & tribunicios furores perquam salutares. Accedebat tertia lex prioribus nihilo melior, qua tempus, quo tenebantur prouinciae Consulares & prætoriae, prorogabatur. Tulerat enim C. Cæsar ne prætoriae prouincia plusquam annum neue plusquam biennium consulares obtinerentur, quam legem vtilissimam, & optima republ. saepius flagitatem CICERO (p) prædicat. Nunc vero Tribuni plebis de prouinciis contra acta Cæsaris ille biennium hic sexennium rogauerant, lege prius lata quam scripta & promulgata, neglectis etiam, vt in iudicia ab augure Antonio non solum auspiciis sed & Legibus Cæcilia & Didia, Iuniaque Licinia, quibus promulgatio per trinundum imperabatur.

§. VII. Non acquieuit in his M. Antonii furor, quin & agros populi Romani inuaderet, & tere omnem Italiam lege lata septenuiris quibusdam, quibus præterat L. frater diuidendam daret. Grauissime, vt omnia Antonii facinora, & hoc CICERO

(o) Cicer. Phil. I. c. 9. (p) Phil. I. c. 8.

in Philippicis (o) exagitat, longe in eo melior
rem fuisse C. Cæsarem ratus, qui, quoconque de-
mum modo de republ. meritus sit, maluerit tamen
paludes siccare, ut suppeterent, quos suis diuide-
ret, agri; cum contra Antonius omni pudore ex-
uto pecunias ciuium Romanorum aestimari, pos-
sessiones vrbanas ac rusticas notari, agrosque quos
& quibus voluerit a septemuiris suis diuidi patere-
tur immo statueret. Hoc addo, non confunden-
dam esse hanc Legem cum alia quam de coloniis in
agros deducendis idem tulerat Antonius. Illam e-
nim de qua modo dixi detestatur & abrogandam
censet CICERO, hanc inter laudabiles Antonii san-
ctiones refert, & tantum, quod in eius rogatione
auspicia fuerint neglecta, de integro ferendam sua-
det, si quam legem, inquiens. (r) de actis Cæsaris con-
firmandis, deue dictatura in perpetuum tollenda, deue colo-
niis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur, eas-
dem leges de integro, ut populum teneant, saluis auspiciis fer-
re placet. Quoniam vero his legibus omnibus suo-
vel alieno nomine latis magnum reipubl. machina-
batur malum, simulque prouidebat, non adeo pro-
sperum consilia sua habitura esse exitum, nisi Lepi-
di animum sibi deuinciret, qui a Cæsare Dictatore
magister equitum creatus, magna tum adhuc in au-
toritate erat; ideo & hunc sibi conciliare studuit, non
solum nuptis inter filiam suam Lepidique filium
contractis, sed dato etiam patri Lepido Pontificatu
Maximo, lataq[ue] lege qua ius publicum Quiri-
tium imane quantum peruertebatur. Cum enim sibi
rem longe facilius cesserat, Lepidumque Pontifi-
ca-

(q) Phil. V. c. 3. & 7. VIII. c. 9. (r) Phil. V. c. 4.

catum Maximum citius a collegio Pontificum, quam a populo a quo alias semper in tributis comitiis Pontifex Maximus constituebatur, imperatrurum speraret, legem tulit, qua ius creandi huius sacerdotis a populo ad collegium transferebat. Dicit nos illud DIO (s) ὅπως γὰρ δὴ παῖδες αὐτὸς ποιῶν ἐστε τὰς ιερέας αὐτῆς λόγῳ τῷ μητρὸς αἰεροῦ τῷ δεκάστερον εἰπανύγαγε. Quod ut ipsi facilis succederet, creationem Pontificis Maximi a populo ad collegium transtulit. V. C. FRANCISCVS HOTTOmannVS in indice Legum Romanarum ita de hac Lege scribit: *Antonia de Sacerdotiis.* Tullit L. Antonius, ut ius cooptandorum Sacerdotum a populo ad illorum collegium iterum transferretur. At duplicitis erroris virum doctissimum DIO arguit. Primum enim non L. Antonius sed frater eius M. Antonius tunc Consul postea Triumuir R. P. C. hanc legem rogauit. Dein ex eo, quem adscripsimus, loco manifestum est, non ius Pontifices cooptandi, sed Pontificem Maximum e collegio creandi populo ademtum & ad collegas translatum esse. Evidem diuersimode in republ. Romana Sacerdotes creati sunt. Antiquissimis enim temporibus sufficiebantur a collegis, post legem Cn. Domitii Tribuniplebis a populo, ea Sulla Dictatoris consilio abrogata iterum a collegio, donec hoc ius per leges Attiam & Iuliam C. Cæsaris ad populum rediret. Neque hoc mutatum est lege Antonia, sed mansit post necem Cæsaris, temporibus Triumuiratus & Augusto etiam imperante. Eminentissimus Cardinalis NORISIVS (s) ex inscriptione quantumuis lacera

C3

acute

(s) Lib. XLV, p. 229. (t) Cenotaph. Pisan. Dissert. II. cap.

5. p. 124.

acute coniecit C. Cæsarem Agrippæ filium, quem cum fratre Lucio Augustus adoptauerat a Senatu populoque Romano in comitiis Kalatis creatum esse Pontificem; quod fieri non potuisse, si secundum HOTTONANNI interpretationem Antonius hoc iure spoliasset populuim. Scilicet de solo agebatur Pontifice Maximo, huius creationem a populo ad collegium sacerdotorum transferebat, cum antea semper tributis comitiis fuerit peracta, ut multis VV. CC. NICOLAVS GRVCCHIVS (u) & IACOBVS GVTHERIVS (x) ostenderunt. Neque tamen diu hoc iure per Antoniam legem introducendo usos esse Romanos arbitror. Non multis enim post latam legem annis ad populum rediisse ius pristinum ex APPIA-
nO (y) coniici potest: tot dñe ΔΗΜΟΤ ΤΙΜ ηεγέτην ιερωδο-
Νο εἰς αὐτὸν ἡα Λατίδης μεταφέρετος, λό έται ἐχειν νανηρου
θετι Γαβάτη, δύν εδέχετο. Cum POPYVLVS pontificatum maximum a Lepido ad eum (Augustum) transferre vellet, ne-
mini viuo adimi solitum, acceptare noluit. Ita dispositis omnibus ad euertendam rem publ. machinis vnum supererat, vt commodam ex qua ciuibus bellum inferre urbemque opprimere posset sibi demandari curaret prouinciam. Actis Cæsaris semel probatis non ita aperte illis eripi poterant prouinciae, quibus erant a Dictatore viuo destinatae. Syria tamen Cassio percussori Cæsaris data magnopere placebat Antonio; quam cum ipse petere vereretur, Dolabellam collegam subornat, qui nihil moratus, ro-
gatione eam a populo obtinuit, Macedonia interim

An-

(u) de comitiis lib. II. cap. 2. (x) de iure pontif. lib. I. c. 8.
(t) de bell. civil. lib. V. p. 1178.

Antonio concessa.^(z) Animaduertens autem citiorem Galliam, cui D. Brutus præterat, longe sibi fore opportuniorem, ex qua, si ita res ferret, Cæsaris exemplo ad urbem ducere posset exercitum, permutari cum Macedonia eam voluit, patribusque recusantibus^(a) Lege de permutatione provinciarum vi lata,^(b) obtinuit.

§. VIII. Quamuis vero M. Antonius legibus, quas modo recensuimus, fere omnibus Cæsaris Dictatoris memoriam rescissis eius actis magnopere laederer; eam tamen alia ratione seruare atque consecrare studebat, consilio iterum pernicioso, quod inexpiables in rem publ. introduceret religiones. Evidem viuo adhuc Iulio Cæsari diuinos honores decretos, ipsumque Antonium Flaminem eius constitutum esse, dico auctor est^(c) Δια τε αὐτὸν (Καισαρ.) ἀνηκούς Ιάλιον περιγένεσαν, ηδὲ ναὸν αὐτῷ τὴν οἰκείαν δυότερην θύμην εὔνοουσι, λεγεῖται φίον τὸν Αὐτοῦν αὐτῆς τινα Ιάλιον περιχερεστάτων. Diuum Iulium eum appellarent ipsique Iulio Clementia templum dedicari decreuerunt, creato sacerdote M. Antonio, quasi Flamine eius. Propter hoc Sacerdotium grauiter hinc & inde in Antonium inuehitur CICERO: (d) Est ergo, inquiens, flamen ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic D. Iulio M. Antonius? Quid igitur cessas? cur non inaugurest? sume diem? vide qui te inauguret: collegæ sumus nemo negabit. O detestabilem hominem, siue quod tyranni sacerdos est, siue quod mortui! Ipse etiam Antonius legem de variis Cæsaris honoribus ad populum tulerat, v. c.

vt

(z) Appian. de bell. civil. Lib. III. p. 860. sq. (a) Ibid. p. 882. (b) Epitom. Liuian. Lib. CXVII. (c) Lib. XLIV. p. 243. (d) Phsl. II. c. 43.

ut mensis Quintilis, quod in eo Cæsar natus erat, Iulius adpellaretur teste MACROBIO. (e) Sed hanc rogationem viuo adhuc Dictatore latam esse ex DI-
ONE (f) intelligere mihi videor, haud secus ac illam ut quintus dies ludorum circensium Cæsari tribu-
eretur. (g) Sperabant autem, qui rempubl. saluam
cupiebant, fore ut hæ execrandæ religiones inter-
fecto Cæsare euaneucerent. Eo tendebat euersio
aræ, qua plebs Iulio sacrificabat tamquam Deo; ne-
que alia caussa erat quod quinto ludorum Circen-
sium die nemo esset prætextatus; immo Antonius
Flamen constitutus inaugurationem, quam Cæsar
vivus ipse forsan impediuerat, post eius necem pe-
tere verebatur. Nunc autem coacto Senatu Con-
sul de supplicationibus Cæsari decernendis refere-
bat, & SCum impetrabat, quod merito detesta-
tur CICERO (h) quia hac ratione parentalia cum
supplicationibus miscebantur, & decretis mortuo,
cuius sepulcrum extabat diuinis honoribus inex-
piabiles religiones in rempubl. inducebantur. Quæ
Sacra cum primus institueret religiosus augur M.
Antonius, mirum non erat, si pius erga patrem C.
Iulius Cæsar Octauianus his inhæreret vestigiis,
diuinosque D. Iulii honores præsertim apparente
stella noua, quæ superstitione plebeculae fidem de
Cæsaris immortalitate fecerat, seruaret, imo & au-
geret. (i) Multa denique huic ~~adiectioni~~ adiecta sunt
cum Octavius Antoniusque & Lepidus Triumviri
essent R. P. C. ut hoc consilio quo nomen D. Iulii
~~adiectioni~~ curabant, sibi eius vestigia in acqui-
ren-

(e) Saturn. II, cap. 12. (f) loc. cit. (g) Cicer. Phil. II, c.
43. (h) Phil. I, c. 6. (i) Dio Lib. XLV. p. 273.

rendo potentatu legentibus, maiorem procura-
rent securitatem. (k) Tenemus ergo præcipuas
quas tunc ius Romanorum publicum & primaria
eius pars sacrum annitente Antonio subiit muta-
tiones; Tenemus Leges Antonias non omnes
quidem, sed post necem Cæsaris latas, quam recen-
sionem nostram, si quis cum catalogis Legum,
quas viri docti texuerunt, conferre dignetur, de-
prehendet, eos parum diligenter in illarum com-
memoratione esse versatos.

§. IX. In tanta rerum omnium perturbatione,
dum Antonius aperte res nouas moliebatur, vete-
rani Cæsaris interfecti desiderio magnum percus-
soribus malum minitabantur, pauci vero inter i-
psos Consulares hos libertatis defensores tueri aut
vellent, aut auderent; facile prouidere M. Brutus
& Cassius poterant, se fuosque in vrbe nullo modo
tutus esse posse. Qui cum metu inimicorum de
secessu cogitarent, Senatus ne fortissimi reipubl.
vindices fugere viderentur, rei frumentariæ pro-
curationem eis conceslit. Verum nec ita Legibus
fatis conformis erat M. Bruti abitus. Eo enim,
quo Cæsar interficiebatur, anno vrbanam Prætu-
ram gerebat; & tamen inter omnes constat, Præ-
torem vrbanum non plus quam decem continuos
dies Roma abesse potuisse. Vnum ergo supererat,
vt a Senatu hac lege solueretur, id quod CICERO (l)
his verbis indicat: *Cur M. Brutus te (Antonio) re-
ferente legibus est solitus, si ab urbe plus quam decem dies
absuisset?* Interim pro eo ludi Apollinares, quorum
cura ad Prætorem spectabat, celebrabantur, ius
D
vero

(k) Id. Lib. XLVII. p. 337. seq. (l) Phil. II, Cap. 13.

vero inter ciues dicebat Consulis frater C. Antonius. (m) Nihil nos mouere potest, quod Brutus & Cassii complura Edicta Romae proposita esse passim legamus. (n) Ea enim non ut alia Praetoria edita de rebus ad huius magistratus iurisdictionem spectantibus erant concepta; sed voluntatem Brutus & Cassii erga populum Romanum studiumque libertatis & pacis declarabant, ut docent verba, quae ex eiusmodi Edicto conseruauit VELLEIVS: (o) Libenter se vel in perpetuo exsilio viukturos, dum res publica constaret concordia, nec ullam bellum ciuilis prabituros materialis; plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui. Quemadmodum vero Praetores, ita & alii ex optimatibus multi urbe, in qua neque securitati suae neque dignitati consultum videbant, cedendi consilium ceperant. Non ultimus inter eos CICERO, qui de suo itinere Quae cum audire, inquit, (p) malleum quam videre, haberemque ius legationis liberæ, -- discessit. Erant alioquin legationes liberæ non ita laudabiles, a Cicerone certe saepenumero improbatæ, quod Sociis Romanorum imo & exteris nationibus essent onerosæ, cum tamen eas sui quisque commodi non reipubl. caussa susciperet. Hoc innuit quando Atque illud, inquit, (q) circumspicite mentibus, unaque legatos nostros homines auctoritate tenui, qui rerum priuatarum caussa legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix possunt. Graue est enim nomen imperii, atque id etiam in leui persona pertimescit, propter

(m) Pigh. annal. ad a. u. e. DCCIX. (n) Cicero Philipp. I. e. 3. ad Attic. XIV. ep. 20. XVI. ep. 7. (o) Histor. Lib. II. Cap. 62. (p) Philipp. I. c. 2. (q) de Leg. agrar. contra Rull. II. Cap. 17.

pterea quod vestro non suo nomine, cum hinc egressi sunt, abutuntur, & de sociis: (r) *An legationes sumere liberas, exigendi caussa, sicut & tu ipse nuper & multi viri boni sape fecerunt, rectum est?* quod ego non reprehendo, socios vi-deo queri. Non autem satis decorum erat, sui commodi aut certe otii (s) caussa & abusu auctorita-tis, quam nomen tribuebat legati, sociis exterisque creare incommoda. Hinc in Consulatu suo eas plane tollendi consilium ceperat CICERO, quod ipse his verbis exponit: (t) *Sed quero, quid reapse sit tur-pius quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reipubl. munere?* quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum Senatus pertinere videba-tur, tamen approbante Senatu frequentissimo, nisi mibi leuis-simus tribunus plebis tum intercessisset, sustulisse. Tamen minui tempus, & quod erat infinitum annum feci. Ita tur-pitudo manet diuturnitate sublata. Neque ius nostrum has legationes adeo probat; nemo certe propter eas absens reipubl. caussa abesse putatur, vt diferte docent ALFENVS (u) & VLPIANVS. (x) Ob hanc vel solam caussam tamen in republ. ferendæ erant, vt Senatori, qui non merito suo in eum statum per-uenerat, vt securus in vrbe esse non posset, habe-ret aliquam salua dignitate sua secedendi occasio-nem. Hinc eiusmodi liberam legationem inter-emto Cæsare fibi suisque petendi consilium cepe-rat D. Brutus (y) & qui hoc ius adeo exagitat ipse M. Tullius eo non solum vti volebat ad euitandos

D 2

P. Clo-

(r) pro L. Flacco cap. 34. (s) Cicer. de Leg. I. c. 3. (t) de Leg. III. c. 8. (u) L. 42. D. ex quibus causs. mai. (x) L. 14. D. de legation. (y) Cicer. Ep. fam. XI. 1.

P. Clodii furores (z) sed & reapse vtebatur Antonio nouas res moliente. Petenda vero erat a Consule, non ab vtroque, quamuis ne iracundum hominem Antonium commoueret se ad eum æque ac ad Dolabellam hac de re scriptisse CICERO commo-
ret. (a) Dein definitum erat legationis tempus SCto supra commemorato, nec vltra annum extendendum videbatur, quamuis postea Lex lu-
lia quinquennium concederit, & indulgentia Con-
sulis nonnumquam tempus infinitum daretur, vt
cum vellet introire, exire, legato liceret. (b)

§. X. Iam cum malum latius serperet, & M. Antonius lege de permutatione prouinciarum per vim lata Galliaque citeriore obtenta, D. Brutum, qui ei prærerat, elicere conaretur, opportunum rei publicæ tulit auxilium C. Iulius Cæsar Octavianus. Is collectis, quanta poterat largitione, veteranis Antonio se opponere, Mutinamque obsidione, Se-
natum vero metu liberare contendit, homo admodum adolescens & pæne puer. Sane, qui eum ma-
gnifice collaudabat M. Tullius aliquique optimates initio semper puerum appellarunt, quod ægre tulit teste SVETONIO. (c) Ne autem magis ea re of-
fenderetur, & a studio erga optimates remitteret, SCto vetabatur, ne quis eum puerum adpellasse velit. Fi-
dem facit SERVIVS: (d) Decreuerat Senatus, ne quis O-
ctavianum puerum diceret, ne Maiestas tanti imperii minuetur. Grauis profecto SCti formula. His enim
verbis, minuisse imperii maiestatem utramque in dæx⁹
Leges

(z) ad Attic. II. 14. & 19. (a) ad Attic. XV. 9. (b)
ibid. epist. II. (c) vit. Aug. cap. 12. (d) ad Virgil. Eclog.
I. v. 43.

Leges maiestatis Appuleia (e) & Iulia vrebantur. Ac erat profecto indignum Octavianum pontificem, pro prætore, quem veterani & legiones sequebantur appellare puerum, quamuis non negem ita ab ovidio vocari C. Cæsarem ab Augusto adoptatum, etiam cum iam exercitui præcesset, de quo in Parthos moturo ita canit: (f)

Vltor adest, primisque ducem profitetur in annis

Bellaque non puer tractat agenda puer.

Cæsar ergo, ut modo dictum est, veteranos in suum reique publicæ auxilium sibi adjunxit; quicum iam missi essent, & nunc denuo militiæ nomen darent, originem dedere generi militum cui nomen apud Romanos euocatorum erat. Ita dico (g) ἐν ταῖς οὖσαις ἀνδραῖς τοῖς τον ἑρωνάτοις ή οὐονάτοις σύσημα, (εἰς Αναντίτης αὐτὸν ἡ θεόντων οὐ πεπαύθει τῆς σπειρᾶς εἰς αὐτὸν ἀνθρώπον ὁνομαστὸν) ἐκοινών. Ab his orta appellatio legionis Euocatorum vel Vocationum, quos ἀνακλήτες quis Graece nixerit, quod impetrata missione militiæ ad eam rursus vocarentur. Quamuis vero ita Cæsar filius Antonio se obniceret, D. Brutus etiam Galliam citeriorem a Cæsare Dictatore sibi destinatam & hoc imperfecto a Senatu datam aduersus eiusdem furores defenderet; nondum tamen in tanta armorum iniustitia hostis iudicatus erat Antonius. Contraria enim in studia scindebatur Senatus, dum pars, cuius caput merito dixeris Ciceronem bellum & SCrum de Antonio hoste iudicando flagitabat, pars siue pacis & otii studio siue ob aliquam cum Antonio necessitudinem legatos

D 3

qui

(e) Cicero de Orat, II. 25. (f) de arte amandi, Lib. I. (g)
Lib. XLV. p. 276.

qui eum ad obsequium erga Senatum reduceret
mittendos censeret. Mitior obtinebat sententia,
proficisciabantur legati, & inter eos Seruius Sulpicius
huius Decreti autor, ipsiusque legationis princeps.
Cuius profectio magnum non reipubl. tan-
tum sed & Iurisprudentiae vulnus inflxit. Eger
enim viam ingressus, morbo ingrauemente cum
ad Antonii castra venisset animam efflavit, for-
tissimus Consularis. ICtus vero summæ auctorita-
tis, in quo vno, cum apud alios multos magnus
esset Iuris ciuilis vsus, artem Cicero agnouisse sibi
vius est. (b) Cuius viri memoria cum merito o-
mnibus iuris cultoribus sancta esse debeat, optimo
consilio imaginem eius Dissertatione perdocte scri-
pta delineandam sibi summis V. C. EVERARDVS OTTO.
Ponebatur ipsi statua, efferrebatur publico funere,
de quo cum sententiam CICERO diceret in Philippica
nona, quam SCALIGER merito diuinam appellare so-
lebat, postremo loco (i) *Senatum*, inquit, *censere at-*
que e republ. existimare, ædiles curules editum, quod de fu-
neribus habeant Ser. Sulpicii L. F. Lemonia Rusi, funeri
remittere, quod qua ratione accipiendum sit viri do-
cti diuersimode sententiam dixerunt. PAVLVS MANV-
TIVS ea verba ita accipit, ut plus in funus Seruii Sulpicii
erogari posset, quam per Edictum Ædilium,
quo certus funeribus definitus esset sumptus, lice-
ret; quod mihi quidem parum videtur vero simile.
Primum enim dubito an Ædilium fuerit definire
*funerum sumptus edicto, qui iam legibus ipsis coërci-
cebantur. Sane extabat Lex Cornelia Sullæ Di-*
cta.

(b) in Bruto c. 41. (i) Philipp. IX, cap. 7.

Etatoris de sumtibus funerum, de qua PLVTARCHVS
 (k) iōi de τῆς ταχηρᾶς ἀρχῆς τὰ δανδῖναν νέφους αὐτοῖς παρε-
 στηνοχωὶ παρεῖθεν. Legem vero de sumtibus funerum quam
 ipse tulerat neglexit. Quod si etiam demus, edictum
 quod Aediles de funeribus habebant ad eorum sum-
 tus spectasse, quis tamen sibi persuadebit, ad fu-
 nera publica pertinuisse legem, qua priuatorum lu-
 xus reprimebatur, aut in funere quod Consul vel
 Prætor locare solebant, impetrandam prius fuisse
 edicti Ædilium remissionem. Paullo aliter rem ex-
 plicat IACOBVS GVTHERIVS. (l) Ait enim M. Tul-
 lium in verbis supra descriptis Ædiles edictum non
 proposuisse, sed habuisse, dicere; siccirco proba-
 bile sibi videri extitisse de sumtibus funerum edi-
 ctum Censorium, quod ut alia SCta & plebiscita in
 æde Céreris adseruauerint Ædiles. At vero falsus
 est vir doctissimus quando Ædiles de funeribus a-
 liquid edixisse negat; contrarium enim ex marmo-
 ribus antiquis ostendit celeberrimus EVERARDVS
 OTTO. (m) Dein si hoc suum Edictum Censorium
 de funerum sumtibus propositum esse existimat,
 idem ipsi obstabit, quod modo opposuimus MA-
 NVIRO. Et qua demum ratione fieri potuisset, vt
 si quid Censoria seueritas vetuisset, eius remissio
 peteretur ab Ædili. Quod si in hac re aliquid de-
 finiendum est, accederem NORISIO (n) ita ut apud
 CICERONEM pro remittere legatum secundum quo-
 dam Codd. mittere & Edictum Ædilium illud exi-
 stimemus, non quod funerum sumtus definiebat,
 sed

(k) in vita Sulla p. 474. (l) de Jure Man. Lib. II. Cap.
 1. (m) in Dissert. de Ser. Sulpicio p. 87. (n) in Genotaph. Pa-
 fan. Diff. III. c. 1. p. 395.

sed quo conuocabatur populus, & omnis pompa
solemnitas praescribebatur.

S. XI. Ita Ser. Sulpicius etiam contemta, quam certissimam praeuidebat, morte de republ. bene mere pacemque ac otium, quamuis irrito conatu, reducere contendebat. Neque intermittebat Cæsar Octavianus armis suis partes ad quas se contulerat tueri. At hanc operam se non gratis reipubl. dedisse volebat ad præmia adspirans, quibus obtentis multum infringebatur Legum de magistratibus & præfertim annariarum auctoritas. Iam primum antequam res ad arma peruenisset, aperte satis Tribunatum plebis petebat, quamuis esset patritius. Erat enim gens Octavia iam inde a Seruii Tullii regis temporibus inter patritias, & quamquam procedente tempore ad plebem se contulerat, D. Julio tamen patritiorum numerum supplente inter eos iterum erat allecta. (o) Nimirum A. U. C. DCCIX. Fabio ac Trebonio Coss. exhausto patritiorum numero Cæsar Dictator lege Cassia alios sublegerat (p) inter quos noster etiam Octavianus teste NICOLAO DAMASCENO (q) Διατείθω δὲ τῷ τῇ πόλει, ἵνα τοῖς Βελῆς Διπολεμούσας εἴη τὸν πατρικὸν. Cum in urbe versaretur a Senatu patriciis adscriptus est. Dein cum iis temporibus Tribunatum pl. nemo posset gerere nisi qui esset Senator, siue quod ita cautum fuerit Atinio plebiscito (r) siue Lege Cornelia Sulæ Dictatoris (s), qua de re ipsi veteres ambigebant; manu-

(o) Sueton. vit. Aug. cap. 2. (p) Tacit. Annal. XI. 25.
(q) de vita Aug. cap. 15. (r) Gell. noth. Attic. XIV. 8. (s)
Appian. de bello civil. Lib. I. p. 688.

manifestum erat obstare & hoc Octauiano, qui nec plebeius erat nec Senator. (z) Nihilominus tam cum defuncto aliquo ex Tribunorum collegio ipse Flaminio cuidam, qui omnia, quæcunque sibi placuerint, ad plebem ferret, fauisset, intellecta populi voluntate, quod se ipsum legibus etiam inuitis Tribunum pl. creare constituisset, non sine ambitus nota hunc magistratum obtinere contendit, (u) quem & impetravisset, nisi Antonius primum edicto *ὑπὲν Καίσαρα ἐγχειρι παρανόως*, dein ipsis quoque comitiis sublati consilia omnia subuertisset. (x) Postea cum se ad optimates contulisset sumptis contra Antonium armis, varia ab ipso præmia petita, varia sponte a Senatu oblata sunt, siue ut gratiam referrent, siue vt, puerum ceu iactabatur, ornarent & tollerent. (y) Primum igitur imperium pro prætore, locum in Senatu prætorium, & ius magistratum quemuis, ut si quæstor fuisset, petendi, obtinuit. Ita CICERO (z) censet in cuius sententiā postea SCtum factum est: *Senatui placere, C. Cæsarem C. filium, pontificem, pro prætore, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere; eiusque rationem, quemcumque magistratum appetit, ita haberi, ut haberi per leges licet, si anno superiore quæstor fuisset.* Accedebant decreta alia multa perquam honorifica, de quibus consueldi VELLEIVS, (a) DIO, (b) PLUTARCHVS (c) aliique. (d) His vero omnibus ornabatur Octauia-

E nus

(r) Sueton. vit. Aug. Cap. 10. (u) Sueton. cit. l. (x) Appian. de bell. civil. (y) Lib. III. p. 886. Sueton. vit. Aug. Cap. 12. (z) Philipp. V. c. 17. (a) Lib. II. Cap. 62. (b) Lib. XLVI. p. 310. (c) in vita Ciceron. p. 684. (d) Epitom. Liuian. Lib. CXVIII.

nus vnde uiginti annorum adolescens, neglectis legibus annariis, quod excusare CICERO conatur, (e) quamquam est magnus, inquiens, illi etati bonos, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet. Neque mirum est Octauiani admodum adolescentis tam praeclaris de republ. meriti rationem haberi voluisse Senatum, cum vel L. Egnatuleio, qui legionem quartam ad Cæsarem duxerat, triennio citius honores petere permiserit. (f) Ita lege annali solitus facile ad supremum magistratum adspicere poterat, quod ipse in monumento Ancyranō testatur:

- - EODEM ANNO ME SOLVTVM LEGIBVS CONSVLEM CVM FECISSET. - -

Sibi enim imputaret Senatus poterat, quod homo viginti annorum id de quo sibi SCto spes facta erat nunc etiam inuito amplissimo ordini extorqueret & Consulatum (vt SVETONIUS (g) loquitur) inuaderet, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent. Nec spe frustratus in locum Hirtii & Pansæ, qui in bello aduersus M. Antonium occubuerant Consul creatus est, οὐδὲ ἐπὶ τῷ τῷ μέγιστον ἐΦέρει ὅτι ἐν ἑκατῇ τῇ ἡλικίᾳ (διὰ πάντοις λιγὸς ἔγειρόν) ὑπαπενθεῖ ἐμέλλει, multumque ea re elatus est, quod in illa etate (quod nemini antea obtigerat) Consulatum obtainuerit.

§. XII. Occupato pæne per vim Consulatu Cæsar legibus novis dominatum quem machinabatur, stabilire contendit, seque ipsum statim, ut supra dictum est, lege curiata in D. Julii familiam inseruit.

Inde

(e) Philipp. V. c. 16. (f) Cicer. cit. l. cap. 19. (g) in vita Aug. cap. 26.

Inde sublato per legem aliam SCto, quo Dolabella hostis a Senatu iudicatus erat (*b*) ad id animum suum conuertit, vnde omnium bellorum initium & causam sumfisse videri volebat (*i*) nempe ut patris necem vindicaret, idque efficeret, de quo saepe Homeri versiculos usurpauerat:

Αὐτίκα τεθρανόν, ἐπεὶ οὐκ ἀρέεις θονέαίσθω

Κτηνομένων ἐπειδύνειν - - -

Legibus ergo patris percussores aggrediebatur, iudicaque constituebat, quod ipse in Monumento Ancyranō (*k*) profitetur

QVI IN PARENTEM coniurationis Socii fuerant IN EXILIVM EXPVLI IVDICIIS LEGITIMIS - - -

Promulgata tunc est notissima Lex Pedia, quam alii Cæsari Octauiano ipſi (*l*) alii collegæ eius Q. Pedio, ceu ex ipſo rogationis nomine manifestum est, tribuunt. (*m*) Qui dissensus veterum nullo negotio conciliari potest, si animaduertamus, quod de Q. Pedio DIO (*n*) iudicat, eum non tam Consulem. Cæsarisque Octauiani Collegam, quam legatum eius ὑπαγχὸν dicendum fuisse. Ita cum Q. Pedius ad populum de C. Cæsarisi percussoribus tulerit, iure rogatio ab ipso nomen sumfis, eademque nec immerito Octauiano totius negotii auctori tribuitur. Hoc legitimorum iudiciorum fuso ad opprimendos non solum Cæsarisi percussores sed & omnes, quos sibi aduersari suspicabatur, insontesvtens statuit, vtde iis qui

E 2

Cæ-

(*b*) Appian. *de bello ciuil.* Lib. III. pag. 948. (*i*) Sueton. *vit. Aug.* Cap. 10. (*k*) Tab. I. (*l*) Epitom. Liuian. Lib. CXX. Dio Lib. XLVI. p. 322. Appian. *de bello ciuil.* Lib. III. p. 948. (*m*) Velleius *Lib. II. cap. 69.* Suetonius *vit. Neron.* c. 3. *vit. Galba* c. 3. (*n*) Lib. XLVI. p. 320.

Cæfarem interficerint quæratur, absentes quoque
damnentur, damnatis aqua & igni interdicatur, ac-
cutores autem honorem magistratumue, quos
reus peractus gerebat, vacationem denique a mi-
litia ipsi liberique eorum obtinerent. (o) Audieba-
tur tunc dira vox præconis, Brutum aliquosque li-
bertatis Romanæ vindices citantis, ipso populo Ro-
mano ingemiscente. (p) Præsto erant accusato-
res, aliiue qui secundum formam iudiciorum illi-
us temporis subscriberent? (q) ipsi denique iudices
facinus, quod antea ut heroicum extulerant, nunc
tabella data, lege iubente, armisque minantibus con-
demnabant. Alterum consilium, quo, ut SVETO-
NIVS (r) testis est, in suscipiendis, quibus Antonium
& postea optimates quoque opprimere conabatur,
bellis vtebatur Octavianus tutela erat Legum & actorum
omnium auunculi. Acta Cæfaris, ut supra o-
stensum est inuitus Senatus probauerat, rescislurus ea
quauis occasione oblata, si sine tumultu reique publi-
cae detimento fieri posset. Cum vero Antonius Cæ-
faris auctorum defensor constitutus multa tum publicis
tum priuatis addiderit, ipsosque commentarios
turpi corruperit quaestu; iam vero vires eius admo-
dum fractæ essent & debilitatæ, opportunam reba-
tur Senatus vna cum commentis Antonii ipsa γνώση
D. Iulii acta rumpendi, affulsiſſe occasionem. Crea-
bantur ergo Decemviri, qui rationem gesti consulatuſ
ab Antonio poscerent ἐνθύμα τῆς δέχεσθαι seu poti-
us ἐάν κύρωσιν τὸ Καισαρεῖς διατελεγμένων, qua de re a-
gunt

(o) Dio Lib. XLVI. p. 322. (p) Plutarch. in vita Brutæ
pag. 996. (q) Velleius Lib. II. Cap. 69. (r) vit. Aug.
Cap. 10.

gunt APPIANVS (s) & litteræ BRVTI AC CICERONIS a-
mœbæx. (t) Attamen quicquid ad frangendas &
refigendas Antonii leges abolendaque eius acta Vi-
bius Panfa Romæ, (u) Lentulus aliquique in prouin-
ciis, (x) Decemuiri denique a Senatu constituti (y)
tentauerint, irrita nihilominus optimatum euanu-
ere vota, quos procedente tempore armorum ter-
ror eo adigebat, vt quicquid egerit Antonius, quic-
quid aucturus esset, id omne SCto confirmarent. (z)

§. XIII. His vero & aliis, quas vterius com-
memorare non est huius loci, caussis animus O-
etauiani a patribus alienatus, Antonio contra, quem
antea persequutus erat armis, reconciliatus erat, ad-
eo vt isto cum Antonio Lepidoque feedere triceps
illud monstrum prodiret, Triumuiratus, effetque
orbis terrarum gentiumque domina

Facta tribus dominis communis Roma. (a)

Ac ne nouus ille & adhuc inauditus magistra-
tus Triumuirorum R. P. C. sine lege populo Ro-
mano obtrusus videretur, subornarunt Tribunum
plebis P. Titium, qui legem, quamvis per trinun-
dinum haud promulgatam ferret, originem tot in
vrbe prouinciisque malorum futuram. Qui hæc
iuxta alios memoriae prodidit APPIANVS (b) subdit,
Græce Triumuiros ~~de quos~~ dici posse qua appellati-
one Lacedæmonii vi essent ad designandos magi-
stratus reipubl. constituendæ caussa creatos *ν τεχλω*

E 3

av

(s) de bell. ciuil. Lib. III. p. 936. (t) Lib. XI. ad fam. ep.
14. 20. & 21. (u) Dio pag. 315. (x) Ciceron. ep. fam.
Lib. XII. ep. 1+. (y) Cicer. Philipp. XIII. c. 3. (z) Ap-
pian. de bell. ciuil. Lib. V. p. 1135. (a) Lucan. bell. ciuil.
Lib. I. v. 85. (b) de bello ciuil. Lib. IV. p. 957.

εν της ἐλλήνων δημοσίας ὀνομάσιεν ὡς καὶ λακεδαιμόνια τοῖς κα-
θισταμένοις τὰ υπίκουα ἐπίθεντο ὄνομα. Ex quibus verbis
satis patet, memoriam fecellisse virum maximum
IOSEPHVM SCALIGERVM (e) qui aequos ac Lace-
dæmoniorum comparat cum Iuridicis Ale-
xandriæ. Habuit omnino in animo locum
APPIANI, quamuis eum non allegauerit; qui
tamen manifesto non hos Iuridicos, sed Tri-
umuiros, de quibus agimus, reipubl. constitu-
endæ cum Spartanoruim aequos ac confert. Alterac AP-
PIANVS horum magistratum nomen Græce vertit
DIO (d) dum eos ἐπιμεληταὶ οἱ διορθωταὶ πεζοὶ ποδοί ποδες
κατιστασιν της αγυμάτων describit; in numis vero antiquis
simpliciter eorum nomen exprimitur Γ. ΙΟΤΛΙΟΣ ΚΑΙ-
CAP ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ, ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. Erant
vero hi magistratus cum Consulari potestate aequali
longiuscula iūpatoris (e) non tamen nisi in quinquennium,
licet postea prorogatione alterum quinquennium
accesserit. Quamuis etiam pleraque
vi tentarent, legesque ut libitum esset refrigerent;
omnia tamen populi iussu agere videri
volebant & quicquid in republ. innouabatur Tri-
bunorum opera & plebis citis confirmari curabant. (f)
Hinc est quod, qui eorum sanctionibus teneri non
debebant, eis a Senatu soluendi essent, haud secus
ac a legibus in optima republ. lati. Ita cum Lu-
cius M. Antonii auunculus e numero proscripto-
rum, in quem relatus erat, ipsis Triumuiris volen-
tibus esset eximendus, Plancō Consuli negotium
dabatur, ut ipsi SCto redditum procuraret. Testem
ha-

(c) ad Eusebium p. 165. (d) Lib. XLVI. p. 326. (e) Lib. IV. p.
957. (f) Dio Lib. XLVII. p. 328.

habemus APPIANVM (g) παρεστέναστι ὅμως πλάγιον ὃ
πατένονται καθόδου τῷ Λευκῷ Φυλίσαθα. Interpres ver-
tit: *Efecit tamen, ut Plancus consul plebiscito Luceium pœna
excimeret.* Imperite! Φυλίσαθα enim proprie non
est plebem iure interrogare, neque hoc Consulis erat,
sed potius Tribuni plebis. Et quamuis anti-
quo iure cautum fuisset, ne quis legibus solueretur,
nisi a populo; Senatus tamen hoc ius sensim fibi
vindicauerat, quod frustra populo restituere cona-
batur Cornelius Trib. pl. (h) Cumque ita, vt quis
legibus soluatur SCto tantum opus esset, nihil ali-
ud APPIANVS significare voluit, quam Plancus Con-
suli a M. Antonio iniunctum esse, vt de Lucii redi-
tu ad Senatum referret.

S. XIV. Iam quas turbas inauspicatus ille Tri-
umuirorum magistratus dederit, non est nostrum
hoc loco prolixè edisserere. Qui horum tempo-
rum historias contexuerunt diras proscriptiones,
& æternæ maculæ exempla impietatis filiorum, v-
xorum, libertorum & seruorum erga parentes, ma-
ritos, patronos, dominosque, pauca etiam pietatis
monumenta memoriae prodiderunt. Eleganter
PLVTARCHVS (i) de Triumuiris: ὅντως ἐξέποστον διπ-
λύνεις ηγετῶν τῶν ἀνθερώπων λοχαρμῶν, μᾶλλον δὲ ἀπέδει-
ξαν ὡς ὄνδεν αὐθεώπεις θρίσιον εἴσιν ἐχοντιας πάθει
περισταθεῖστος. Ita ira & rabies omnem iis humanam ex-
cussit mentem, imo docuerunt animal esse homine nullum sœui-
us, si libidini habeat licentiam coniunctam. Nec cæde
& fanguine ciuium satiati cum ad bella, quæ immine-
bant gerenda exhausto ærario pecunia opus esset,
eos,

(g) c. l. p. 983. (h) Ascon. Pædian. in prefat. Corneliana
Ciceron. (i) vit. Ciceron. p. 884.

eos, quibus etiam vitam quasi donauerant, bonis omnibus exuere, nouisque & miris vectigalibus excogitatis miseros Quirites enecare perrexerunt. Luber acerbissimas illas *dilectivores* pensionesque a Pop. Romano exactas paucis perlustrare, vt exin illustrari queat quod de Lege Iulia vicesimaria *DIO* (k) memoriae prodidit. Constat enim inter omnes ærario ciuilibus bellis fere exhausto multum profuisse vicesimam hereditatum, tributum tolerabile & facile heredibus extraneis (l) quod ita tamen onerosum Romanis videbatur, vt parum absuerit, quin nouos motus aliquando excitasset. Quos vt compesceret Augustus, Senatores alia vectigalia minus acerba excogitare iussit, vt experiendo discerent, vicesima hereditatum lenius nullum induci potuisse. Ac profecto si quis vectigalia a Triumuiris vel a Senatu quoque in his turbis ciuilibus instituta cum hac vicesima comparet, dici non potest, quam sint ea grauiora & molestiora. Iam tunc, cum nondum Triumuirorum potentia coalisset Senatui Antonium debellaturo de ærarii defectibus querendum erat, adeo vt Senatores necessarium iudicarent non solum vigesimam quintam suorum bonorum partem, sed & vectigal quatuor obolorum in singulas tegulas ædium, quas quisque vel haberet ipse vel ab alio conduixerit conferre (m) quod tamen, vt recte monet V. C. PETRS BVRMANVS (n) non fuit diuturnum, æque ac alia vectigalia quæ hic recensēbimus. Mittimus direptiones

(k) Lib. LVI. pag. 588. sq. (l) Plinius paneg. Cap. 37. (m) Dio Lib. XLVI. p. 312. (n) de vectigal. Rom. Cap. XII. p. 249.

ones bonorum, quas ne rerum gerendarum ner-
uus deficeret & fecere Triumviri & vt fierent ab
aliis suarum partium, indulserunt. Quæ enim po-
stea irrogatæ sunt Quiritibus exactiones, nec illæ
quidem a rapinis multum distabant, ast habebant
tamen aliquam cum vectigalibus similitudinem.
Ita mercedem annuam habitacionis, si quis in urbe
vel in Italia ædes alienas inhabitauerit, totam, fin
suas, dimidiā exigeabant; iis vero, quibus alia e-
rant prædia, reddituum extorquebant semissim. (o)
Mox alia vectigalia instituebantur de agris, seruis
&c. leuiora Quiritibus visa, si cum eis compara-
bant dñe tanta acerbitate exactas, vt cum de-
cima tantum pars bonorum posceretur, vix ea sal-
ua esset domino. (p) Inde ingenuis quarta redi-
tuum pars, libertinis octaua possessionum ipsarum
eripiebatur (q) iisque quibus certæ essent faculta-
tes, vt earum quantitatem profiteantur, & quin-
quagesimam partem mutuam darent, vnius vero
anni reditus ad sustinenda belli onera conferrent,
imperabatur. (r) Quæ cum vix ferenda videren-
tur Romanis, spesque ipsis facta esset, fore, vt si
quis bonis cederet, trientem reciperet ulterius non
turbanus; accidit, vt eo remedio vtentes non so-
lum fortunis omnibus exuerentur, sed & spe, quam
de tertia parte recuperanda conceperant, frustra-
rentur. (s) Neque hic finis aut modus vectigali-
um, cum postea exardescente aduersus Pompeium
bello nunc in singula mancipiorum capita pecunia

F certa

(o) Dio Lib. XLVII. p. 335. (p) Id. c. l. p. 336. (q)
Plutarch. in vit. M. Anton. p. 942. (r) Appian, de bello ci-
vil. Lib. IV. p. 980. sq. (s) Dio c. l. p. 336.

certa exigeretur, nunc hereditates, quæ ex testamento veniebant, certo modo delibarentur. (t) Imo cum res ad dissolutionem Triumuiratus spectarent, dissidiaque inter Antonium & Cæsarem Octavianum gliscerent, quo maius bellum instabat, eo acerbius vectigal octauæ bonorum partis iis quibus certa facultatum summa esset, imperabatur. (u) Quæ omnia, si quis animo contempletur, non poterit non fateri, leue esse & facile tolerandum præ onerosis eiusmodi exactiōibus introductum Lege Iulia vicesimaria vectigal.

§. XV. Legum iuriumque fata, quæ Triumuirorum tempore fuerint, si quis scire auet, paucis dio edisserit: (x) Νόμος τοις μη απόλευθα τοις δε αντεγεγνωσκαί. Leges refixerunt, fixeruntque alias; seu ut clarius dicatur, manu rexerunt omnia, iura Quiritium secundum libidinem suam metientes, desideriumque Populo R. excitantes temporum Cæsarianorum, in quibus regnum quidem fuerat, sed si cum Triumuiratu conferas, aureum. Lusus enim ipsis erat iura sapientissimo maiorum consilio introducta, quæ circa magistratum constitutionem & cooptationem sacerdotum versabantur, conuellere, immo ipsas illas leges sacratas reipubl. propugnacula, quarum violatio ob abrogatum Tribunis pl. quibusdam magistratum Cæsari Dictatori odium satis acerbū conflauerat (y), nunc etiam cæsis sacrosanctis his magistratibus (z) plane tolle-

(t) Appian. Lib. V. p. 1128. Dio Lib. XLVIII. p. 373.

(u) Dio Lib. L. p. 424. (x) Lib. XLVII. p. 335. (y) Plutarch. vit. M. Antonii p. 920. Epitom. Liuiān. Lib. CXVI.

(z) Appian. p. 966.

re & eneruare. Paucæ contra ferebantur leges quas aliqua æquitatis species commendabat. Lictore, vt singulæ Vestales vterentur statuebatur, quia tunc, cum quædam a cœna rediret, sanctissimum earum sacerdotium, stupro vi illato, fuerat pollutum. (a) Postea Cn. Domitio Caluino & C. Afinio Pollione Coss. ferebatur **LEX FALCIDIA** (b) testamenterum fulcrum, cuius auctoritas ob manifestam vtilitatem stetit inconcussa. Evidem saepenumero miratus sum, qui fieri potuerit, vt in tanta ciuitatis perturbatione, legibusque inter arma silentibus de rogatione adeo salutari cogitatio incideret. Et puto rationem reddi posse satis probabilem etiam hanc legem primum Triumuirorum astutia ad augendum, quod de testamentis exigebant, vectigal fuisse comparatam, postea vero sublato etiam Triumuiratu ob manifestam, quæ exin redundat, vtilitatem, retentam. **APPIANVS** (c) auctor est circa tempora latæ legis Falcidiae propositum esse a Triumuiris edictum ἐσφέρειν οὐδὲ μὴ τοῖς θερψίστοις τὸς κακηπειεῖς ὑπὲρ ἐκάστη τὸ ἡμίου τῶν πόνων καὶ ἕκοσι δεσχμῶν, ἀγροτικέναν ἐς τὸν πόλεμον τὸν Κασσίον τοις Βεργύτες, ἐσφέρειν δὲ καὶ μοῖραν τὰς ἐν ΔΙΑΘΗΚΗΣ καὶ επιχειρήσεις. Quod ita reddit interpres: *Edictum de conferendis pecuniis est propositum, ut domini in singula mancipiorum capita, quemadmodum Cassiano bello vicenos quinos sestertios contribuerent, tunc dimidium penderent, utque certa pars decideretur ex hereditatibus.* Minus accurate postrema interpres verba textui respondent. Non enim omnes heredes id vectigal soluere tenebantur, sed tantum

F 2

οἱ ὄχι

(a) Dio Lib. XLVII. p. 338. (b) Id. Lib. XLVIII. pag
377. (c) Lib. V. de bell. ciu. p. 1129.

et ex diathnus na^{ep}ouu^{er}vi i. e. testamentarii. Nimirum cum Triumuiri, quamuis in summa ini^{nit}iate aliquam tamen æquitatem simularent, non poterant vlo colore heredibus ab intestato impo^{ne}nere ve^ctigal adeo odiosum. Referri huc possunt commode, quæ de vicesimæ ve^ctigali PLINIVS differit.
 (d) Itaque illis (testamentariis) irrogatum, his (domesticis) remissum est, videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi seu potius non laturi homines essent destringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque numquam ut aliena & speranda, sed ut sua semperque possessa ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Estergo manifestum, imposito testamentariis heredibus ve^ctigali, magnopere Triumuirorum interfuisse netestamenta destituerentur, neue re ad cau^ssam intestati redeunte, ærario Triumuirali ve^ctigal amplissimum periret. Nihil vero erat frequentius iis temporibus, quam destitui testamenta; quoniam concessa XII. Tabulis omnimode libera legandi facultate, hereditates sepiissime legatis exhaudiebantur. Cumque & Furia lex & Voconia ad coercendam legandi libertatem latæ facile eluderentur, intelligere omnino Triumuiri poterant, nullo adhibito remedio & in posterum complura testamenta destitutum & ita, quod speraverant, ve^ctigal sibi facile ereptum iri. Ex his vero fatis, opinor, manifestum erit, subornatum ab eis fuisse P. Falcidium Trib. pl. qui hanc legem ferret, non minus Triumuirorum ærarium, quam testamenta ipsa suffulturam.

§ XVI. Proximo post latam legem Falcidiā anno,

(d) Panegyr. cap. 37.

anno, sensit respubl. nouis in magistratibus suis exemplis, quoque res Triumuirorum avaritia pecuniasque vndique conradendi cupiditate perducta esset. Scatebat enim amplissimus ordo nequissimis vilissimisque homuncionibus, qui crucem potius quam senatoriam dignitatem sceleribus multis meruerant. Ante foedus Triumuirorum solus M. Antonius auctorum & commentariorum Cæsaris arbitr multos in hinc ordinem, quasi ita D. Iulius destinasset, auro corruptus adscriperat, quos ludibrii causa Romani vocabant *χρεωντες*, haud secus ac ius nostrum libertos quosdam *orcinos*. (e) Eo vero, ut diximus, anno L. Marcio Censorino & C. Caluifio Sabino Coss. iterum pecuniæ penuria Triumuiri adeo premebantur, vt non modo ex sociis & militibus, sed & ex libertinis immo seruis vilissima capita senatui adscriberent. (f) Quid ergo mirum erat, si & ipsi magistratus impurissimis nebulonibus inquinabantur? Sane ad ea tempora pertinent, quæ de Barbario Philippo seruo Prætura functo svidas (g) & vopianvs (h) memoriæ prodiderunt. Eodem anno Maximus quidam quæsturam ambiens, a domino abductus est teste DIONE (i) impune tamen temerarium ausum tulit. Vir summus IOSEPHVS SCALIGER (k) quod dio de Maximo commemorat, idem esse putat cum historia Barbarii Philippi apud svidam. Ast nec nomina conspirant; nec magistratus; imo Maximus quæsturam tantum ambiisse, Barbarius Philippus vero Prætura reapse functus legitur.

F 3

Quid-

(e) Plutarch. vit. Anton. p. 922. (f) Dio Lib. XLVIII. p. 377. (g) in Βαρβαρος Φιλιππος. (h) L. 3. D. de offic. pret. (i) Lib. XLVIII. p. 377. (k) ad Eusebium.

Quidni vero cum amplissimus ordo compluribus sordidis hominibus scateret, etiam quoad Magistratus pluribus exemplis se exerere potuisset *της τύχης πατρίδια*. At vero mirum esset si dico Barbarii Philippi facinus longe notabilius quam illud Maximi, quod retulerat, omisisset. Et puto omnino eius mentionem extare apud DIONEM, loco quamvis corrupto. Ita enim apud eum, ubi de Maximo quaesturæ candidato a domino abducto egerat (1) legitur ἐπεργες δὲ οὐ τοῖς σερπενομένοις Φωρφθεῖς, καὶ τῶν τοῦ Καπιτωλίου πετρῶν ἐώθη, πεσελευθερωθεῖς, ἵνα ἀξιοποιηθεῖται οὐκετέλλεται λαθεῖν. Alius quidam seruus inter milites deprehensus, de rupe Capitolina deiectus est, prius manumissus, ut cum dignitate supplicium in eum statueretur. Enimvero seruum quod inter milites irrepserit iis temporibus saxо deiectum esse mihi vix verosimile videtur. Nemo quidem est, qui ignoret, in optima republ. magnopere sollicitos fuisse Romanos, ne militia capite censis, libertinis, histronibus aliisque, qui artem ludicram fecerint, inquinaretur, tantum abest, vt seruus in deiectum venire potuerit, vt potius si irrepserit dolo, dignus esset suppicio mortis. Ast Triumvirorum tempore longe alia rerum facies, quando exhaustis nimium per bella ciuilia quinque classibus, ex quibus aliis delectus habebatur, superstitionibus vero in contrarias partes scissis, imperatores sаepenumero alios, qui militare alioquin non poterant, ad arma vocare cogebantur. Sane ex BRVTI litteris (m) intelligimus Antonium in bello Mutinensi ad comparandum militem ergastula soluisse,

(1) l. cit. pag. 377. (m) Ciceron. ad fam. Lib. XI, ep. X. 5, XIII, 4.

luisse, qui Reuertor nunc, inquit, ad Antonium, qui ex
 fuga cum parvulam manum militum haberet inermium ERGA-
 STVLA SOLVENDO omneque genus hominum adripiendo sa-
 tis magnum numerum videtur effeisse; & iterum Ille enim
 (Antonius) iit possim, ego ordinatim, quacunque iit ERGA-
 STVLA SOLVIT, homines adripuit. Quis ergo sibi persua-
 debit, solutis ab Antonio ergastulis compluribus, &
 coalescentibus postea Triumuirorum exercitibus,
 vnum tantummodo inter milites inuentum esse
 seruum? aut in seruum, qui ita in legionem irre-
 piserat adeo dirum supplicium statui potuisse, cum
 ipsi Triumuiri antea mancipia non solum ad arma
 vocauerint, sed & legerint in Senatum? nisi forte
 quis existimet, facilius seruum in amplissimo or-
 dine esse potuisse, quam in legione. Erit igitur,
 opinor, manifestum, laborare vitio librariorum
 DIONIS verba, quæ facile corriges, si pro ἐν τοῖς σεα-
 τευμένοις, legas ἐν τοῖς σεατίγοις ita ut ἔρεγος δὲ ἐν τοῖς
 ΣΤΡΑΤΗΓΟΙΣ Φωραδίς vertas alius quidam seruus Prætu-
 ram invasisse deprehensus. Habes ergo & apud DIO-
 NEM Barbarii Philippi historiam, quam ab ipso præ-
 teritam esse minus probabile videbatur, neque ob-
 esse emendationi nostræ potest, quod ex SVIDA col-
 ligatur, Barbarium Philippum poenam euafisse, ex
 DIONE vero, eum esse rupe deiectum; non enim
 insolens est dissidere in eiusmodi circumstantiis ve-
 teres, præsertim cum obscurum sit, unde sua hau-
 ferit SVIDAS. Iam quid mirum est Senatoria digni-
 tate ita perditissimorum hominum colluuie euile-
 scente, hunc æque ac equestrem ordinem prauis
 & ingenuo quoque indecoris moribus esse infe-
 stum. In scenam enim prodire, saltare, gla-
 dia-

diatoribus se immiscere, bestias denique conficere, quæ omnia alias infamia sequebatur, nunc Senatores & equites nequaquam sibi rebantur indecora, adeo ut Triumuiri dignitatis horum ordinum arbitri ceteroquin iniquissimi necessarium ducerent, ferre legem μήποτελεύτην μανομάχειν ne quis Senator gladiator esset. (n) Evidem iam Cæsar dictator quingentis millibus HS. D. Laberium equitem Romanum ut in scenam prodiret, inuitauerat, inuitumque deum adegerat, ita ut ipse in prologo quereretur:

Ego bis tricens annis, aetis sine nota

Eques Romanus lare egressus meo

Domum reuertar mimus, nimirum hoc die

Vno plus vixi mihi, quam viuendum fuit. (o)

Nunc vero non equites solum, sed Senatores, non inuiti sed plane ut auctorati, non in scenam tantum sed & in arenam gladiatores prodibant. Quicquid etiam vetuerint Triumuiri, inuenio tamen apud DIONEM non diu post fixam hanc legem Q. Vintelium Senatorem μανομάχον (d) & P. Seruilium prætorem vrsorum & belluarum ex Africa aliarum CCC. interfectorem (q) ut de equitibus & feminis nobilibus in orchestra saltantibus taceam. (r) Et quamuis postea Senatorum non filii tantum sed & nepotes, equitesue orchestra arcerentur (s) nihilominus tamen procedente tempore ab Augusto ipso equitibus depugnare permisum est; eo consilio, ut qui infamiam, quam in eiusmodi turpes digladiationes statuerant leges, contemnerent, ferro illo, quod

(n) Dio Lib. XLVIII. p. 383. (o) Macrob. Saturn. Lib. II. Cap. 7. (p) Lib. LI. p. 460. (q) Lib. LIII. p. 515. (r) ibid. p. 518. (s) Lib. LIV. p. 522.

quod tantopere anhelabant, fœdissimo perirent. (2)

§. XVII. Eodem, quo Senatoribus τὸ μενομαχεῖν
prohibitum erat, anno lex etiam ferebatur μῆτραις
καὶ σοις τῶν νεαρῶν ἔντος παντοπάθεια θόρη τῆς πόλεως σαδίων
γίγνεται ne mortui intra duo milia ab urbe passuum crema-
rentur. (u) Non incendiorum enim tantum, sed
& religionis aliquis metus eo adegerat Quirites, vt
in XII. Tabb. sancirent: HOMINEM MORTVVM IN
VRBEM NE SEPELITO, NEVE VRITO. Adeo vero hu-
ius iuris tenaces erant, vt & ante LL. XIII. Tabb. Re-
gum suorum aliquos extra urbem sepelirent, ipsamq;
hanc sanctionem procedente tempore sapen-
timo referent & additis poenis munirent, vt
ostendit JCtus eximius IACOBVS GOTHOFREDVS. (x)
Triumuiros religionis parum curiosos vnicē incen-
diorum periculo permotos rogum in urbe & certo
ab urbe spatio struere prohibuisse arbitror. Sane
vel solum illud P. Clodii funus, quo crēmato curia
vicinioresque domus conflagrauerant cautores eos
reddere poterat, & morum a maioribus receptorum
tenaciores. Postea rescriptis principum idem quo-
ad alia oppida yetitum esse VLPIANVS auctor est (y)
immo iam sub Augusto tale quid Pisæ obtinuisse
docet Eminentissimus Cardinalis NORISIVS. (z) A-
lia adhuc Quæstio eodem anno incidebat, quæ z-
que ac superior quodammodo ad Pontificum co-
gnitionem pertinebat. Ducturus erat Octavianus
Liuiam Neronis vxorem, quibus tamen nuptiis
G
duo

G du

(t) *Lib. LVI.* p. 586, seq. (u) *Dio Lib. XLVIII.* p. 583.

(x) ad XII. Tabb. probat. Tab. X. & ad L. 6. Cod. Th. de Sepulcr. viol. (y) L. 3. D. de Sepulcr. viol. (z) ad Cenotaph. Pisan. Dissert. III. Cap. IV

duo obstabant, primum quod & maritus eius viueret, & mentio diuortii facta esset nulla; alterum quod Liuia gereret uterum, prægnantem autem ducere nefas esset, aut certe an esset ambigeretur. Quod Liuia maritum haberet, nec prioris matrimonii copula soluta sit, ea quidem res nulhum in eis Octavia-no scrupulum videtur. Et qui iniūcere potuerit, cum Romanorum moribus non aduersaretur communio vxorum? Dixi alio loco (a) de hac vxorum ~~un-~~
~~vix~~, eamque ex antiquissimo Quiritium iure pettam diu obtinuisse ostendi, memorabili præsertim exemplo Catonis, Marciam suam Hortensio elocantis. Eiusdem iuris in Octauiani & Liuiae matrimonio vestigia supersunt, quippe quam ~~εποικεν αυτος ο ανηρ της παντες, ipse maritus, ut pater elocabat,~~ (b) seu ut AVRELIVS VICTOR testatur (c) Liuiam Octauianus quasi marito concedente duxit. Alterum, quod Octauiani & Liuiae nuptiis impedimento esse videbatur, erat venter. Ob metum enim turbandi sanguinis vetuerant Leges ~~των δικαιων ανδρός πλευτότατης γαμήθει~~ (d) ne qua mulier intra decem a morte mariti menses nuberet. Ipse postea Augustus filiam Iuliam Agrippa defuncto viduam elapsò demum biennio uxorem Tiberio dedit, quamvis intra tempus luctus sponsalia celebrari voluerit, nullo iure prohibente, ceu PAVLLVS noster ait: (f) *Quæ virum eleget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet.* Triumviris vero rerum potentibus haud ita rigide prisca lex

(a) Lib. sing. ad L. Jul. de adult. Cap. I. §. 9. & Cap. IX. §. 4. (b) Dio Lib. XLVIII. p. 383. (c) Epitome Cap. I. (e) Plutarch. vit. M. Ant. p. 929. (f) L. 10. D. de his qui int. infam.

lex obseruabatur. Sane ea soluebatur per SCtum Antonius (g) Octauiam ducens non diu post viri obitum & adhuc prægnantem. (h) Itaque & Octauiano Liuiæ amplexus anhelanti Pontifices consulti respondebant, si quidem, ex quo grauida esset, constaret, cessante sanguinis turbandi metu, nullam inferri nuptiis a ventre remoram.

§. XVII. Et hæc fere sunt quæ ex primo Triumuiratus quinquennio commemorare libuit. Frustra erant Quirites, quando ad excutiendum Triumuirorum iugum aliquid temporis, quod huic magistratui præstiratum erat, lapsu conferri existimabant. Qui enim pleraque ~~ad~~ agere soliti, primum quoque magistratus sui quinquennium legge nequaquam moribus & institutis maiorum obseruatis lata sibi, ut simulabant, populi auctoritate, reapse vero ipsi constituerant; iis facillimum id quidem erat, populo ne quidem rogato ~~o~~ potestatem in alterum quinquennium prorogare. Quod quamvis minime Romanis faustum scelerisque Triumuirorum purum fuerit; plura tamen, cum indies magis Octauiani potentia cresceret, bene facta plura vtilium institutorum monumenta in eo deprehendimus. Cuius rei exemplum luculentum esto, quod Cæsar tunc victo Sex. Pompeio omnes, qui in huius exercitum magno numero confugerant, seruos, aut dominis eorumque heredibus, Romæ, in Italia, Siciliae degentibus reddiderit; aut, si nemo, qui eos vindicaret,

G 2

re-

(g) Plutarch. c. l. (h) Dio Lib. XLVIII. p. 375. (i)
Appian. de bell. ciuit. lib. V. pag. 1151. Dio Lib. XLIX. pag.
390.

reperiaretur, apud illud, vnde quisque profugerat, oppidum seruili supplicio affecerit. Nimirum Pompeius teste VELLEIO (k) seruitia fugitiuosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecrat, eosque facile in exercitu suo esse patiebatur, cum & præfectos classium Menecratem haberet & Menam libertos. Nihil vero erat perniciosius illa pacis lege, qua inter Pompeium, Cæsareum & Antonium conuerterat τῶν ἐργατευμένων τῷ Ποιητῷ τὸς αὐτοῖς εἰλευθέρους εἶναι, ut qui sub Pompeio militauerint, servi liberi essent, (l) & tamen eam Senatus Pompeianarum partium vel ob patris memoriam studiosissimus calculo suo probauerat. (m) Nunc autem salutari Octauiani consilio hæc fugitiuorum mancipiorum manus dominis reddebatur, aut si nulli inuenirentur, digno eorum sceleribus supplicio αὐτοὺς ποιεῖσθαι (n) de quo ipse in Monumento Ancyranō gloriatur, vt apud PAVLVM LVCAM legitur

EORELIO (Proelio) SERVORVM QVI EVGENIENT
(aufgerungen) A DOMINIS SVIS ET ARMA CONTRA
REMP. TENVERVNT - - NIA FERE MILLIA CA-
PTA DOMINIS AD SUPPLICIVM SVMENDVM TRADE-
BANTVR - -

Nimirum id in primis diligenter cauit Augustus, ne qua seruili colluiae ciuitas Romana, qua nihil ipsi carius nihil pretiosius erat, inquinaretur. Et profecto magna opus erat seueritate, si latius indies serpenti malo fatis resisti, numerusque seruorum inter arma Triumuirorum ciuitatis iura quotidie in-

(k) Velleius Lib. II. Cap. 73. (l) Appian. de bell. ciu. Lib. V. p. 1133. (m) Id. cit. loc. pag. 1178. (n) Dio Lib. XLIX. p. 399.

inuadentium minui debebat. Vel solius enim belli Siculi cauſa XX. millia seruorum manumissa erant (o) immo & procedente tempore ſolus quoque Octauianus rerum arbiter dura neceſſitate coactus aliquando vtebatur milite feruo. (p) Quam vt ex hauriret reipublicae ſentinam vel certe, ne accessionibus quotidianiſ augeretur, prohiberet Leges, vt peruulgatum eſt, noſtiffimas ferri curauit Aeliam Sentiam & Fufiam Caniniam nimis frequentibus ceterorum quoque ciuium manumiffionibus impedimento futuras. Iis vero rogaſionibus non ſolum manumiffiones nimis multorum & facinororum mancipiorum impediſre ſed & ſibi ad facilius perferendam legem de maritandis ordinibus viam ſternere Augustus voluiffe videtur. Nam ſi & nuptiis Romani abſtinebant, nullaque ſobole procreata ciues reipubl. dare negligeabant; per manumiffiones vero non ita crebro ac antea ciuium numerus amplificari poterat, in oculos omnium incurreret neceſſe erat, indies Quirites minui, & paucitate magis magisque laborare. Atque hoc eſt quod ipſe Augustus cœlibes increpans apud DIONEM (q) indicat: ἦ τὸς μὲν ὀλύμπῳ διὰ αὐτὸν τὸν μάλιστα ἐλευθερόμενον, ὅπως αἱ πλείστοι εὖ ἀντῶν πολιτεῖς ποιουμένοι; Ideone mancipia manumittimus, ut ex iis maximus efficiatur ciuium numerus? Hæc vero Augusti ſollicitudo ne ciuitas vilibus his capitibus inquinaretur adeo fuit diuturna, vt & moriturus inter ea, quæ cauerent Tiberius Populusque Romanus nimiam referret manumiffionum frequentiam. (r)

(o) Sueton. Aug. Cap. 16. (p) Id. cit. l. Cap. 25. Dio Lib. LV. p. 569. (q) Lib. LVI. p. 577, (r) Id. c. l. p. 591.

§. XIX. Hæc vero & aliæ, quas in vtilitatem reipubl. suscepérat, curæ efficiebant, vt in honorem ipsius Senatus populusque Romanus permulta decerneret. Ita, vt cetera prætermittam quamvis nondum plena Tribunitia potestas, inuiolabilitas tamen his sacroſanctis magistratibus competens ipſi L. Gellio Poplicola & M. Cocceio Nerua Coss. decernebatur (s) immo non ipſi tantum, sed & vxori Liuiæ, Octauiaeque ſorori, quibus etiam ut abſque tutore res suas administrare poſſent conſellum legimus. (t) At ratione magifratuum multæ eæque magnæ inualuerant ἀναλογία. Haud ita diu enim ante hæc decretta, cum pax inter Sex. Pompeium, Cæſarem & Antonium iusta eſſet, inter eius leges conuenerat, vt liceret Sexto per vicarium, quemcunque ad illud munus ex amicis delegerit, gerere Consulatum. (u) Evidem iam id priſtini moris mutatio erat, quod tam frequenter Consulatum abſentes inire confueuerint. De Auguſto ipso SVETONIVS: (x) Consulatus nec omnes Romæ, ſed quartum in Asia, quintum in Iſula Samo, octauum ac nonum Tarracone inuit. Nunc vero per omne Consulatus tempus vicario vti. nec diem Romæ tranſigere cœperant, quod ab ipſo Caio Cæſare Auguſti filio factum legimus in Cenotaphio Pisano.

POST. CONSULATVM. QVEM. VLTRA. FINIS.
EXTREMAS. POPVL. ROMANI. BELLVM. GERENS.
FELICITER. PEREGERAT.

Non ita maiores; quippe quibus placebat, vt abſentis Consulis munus gereret Prætor urbanus.
Hoc

(s) Dio Lib. XLIX. pag. 401. (t) Id. c. l. p. 414. (u)
Appian. Lib. V. p. 1133. (x) vit. Aug. Cap. 26.

Hoc republ. salua, hoc etiam post necem Cæsaris, cum nondum colla Triumuirorum iugo Quirites subdidissent, obseruarum est Hirtio & Pansa M. Antonium debellantibus, quod ex CICERONIS (*y*) verbis perspicuum erit: *Placuit nobis ut statim ad Coronatum Praetorem verb. litteras deferremus, qui, quod Consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Præterea & loco Consulatus Consularia tantum ornamenta dari tunc cœperunt, idq; procedente tempore ita inualuit, vt & anni quibus quis Consularia ornamenta gesserat in numerum venirent gestorum Consulatu[m]. Eadem ratione in coloniis ornamenta emolumentaq; decurionalia eis, qui de Imperatoribus bene meriti erant dari consueuerunt. Ita deportata aduersus Sextum victoria Octavianus suis proniittebat (*z*) ἀπεισθέντας σερδάνης ἐπὶ τοῖς τελεσιν ἄλλοις, καὶ λοχαγοῖς καὶ χαλιδέχοις αθηναϊόφυρος ἔπειτας, καὶ βελουπτινὸν εἰ τοῖς πάτερον ἀγῶνων. Addere se legionibus alias coronas, & prætextas tribunis ac centurionibus, decurionumque dignitatem cuique in sua patria.* Ob numerum eorum tamen nimis magnum credibile est plerisque non decurionatum ipsum, sed decurionalia tantum concessa esse ornamenta. Horum nonnulla in veteribus lapidibus deprehendimus vestigia, vt apud GRVTERVM (*a*)

L. VALERIO

AGATHOPO

AVG.

HVIC. ORDO

SENIENSTVM

ORNA-

(*y*) ad famil. Lib. X. ep. 12. (*z*) Appian. Lib. V. p. 1176.
(*a*) Inscript. p. CCCC LXXVII. n. 3.

35 (56) 56

ORNAMENT. DECVR.

PRIMO. DECREVIT

VALERIA. MONTANA

CONIVGI. OPT.

L. D. D. D.

Ita & cuidam C. Titio Chresimo Augustali decretum in Sinuesano lapide legitur (b) vt commodis publicis, ac si decurio fuerit frueretur, quibus alia loca permulta addi possent. Facile etiam quis coniiceret eo vsq; rem tunc perductam esse, vt & libertis decurionatus, & ornamenta decurionalia dari consueverint. Sane in innumeris lapidibus occurrunt liberti ex domo Augusta decuriones, imo & feminæ his honoribus insignes, vt apud BLANCHINVM (c)

ANTIGONO P O N T I Æ

LIVIÆ. L, TYRANNIDI

DECVRIONI

& apud eundem (d)

DIS. MANIBVS

IVLLÆ. SEDATÆ

DEC.

CONTVBERN,

C. IVLL. BATHYLLI

IMMVNIS

Cumque feminæ Decurionatum gerere non posse manifestum esset, existimari posset, competitisse illis honores & emolumenta Decurionum, quatenus in eum sexum cadere queunt. Enimuero præstantissimi antiquitatis vindices RAPHAEL FA-

BRET-

(b) Id. p. CDLXXV. (c) Camera ed inscrizioni sepulcrali de' liberti serui ed ufficiali della casa di Augusto, pag. 43. (d) c. l. pag. 11.

BRETTVS & FRANCISCVS BLANCHINV variis locis ostenderunt, libertos atque seruos domus Augustæ secundum officia sua in certas distributos fuisse decurias, quarum capita fulserint titulo Decurionum, ab eo, qui in coloniis obtinebat, diuersissimo. Quod quamuis sit verissimum de plerisque libertis in lapidibus vetustis titulo Decurionum insignibus, nolle tam id afferere de singulis. Nimirum cum circa hæc tempora liberti plures essent Augustales, Augustalium vero ordo in coloniis proximus post Decuriones iisque dignitate non multum inferior haberetur, (e) quidni etiam existimari posset, libertos nonnullos ipsum inuasisse Decurionatum? Et profecto tam multi eum inuaserant, vt Lege Visellia cauendum fuerit, ne libertinæ conditionis homines audeant ea quæ ingenuorum sunt, honores ac dignitates attentare decurionatumque arripere. (f) Quæ Lex cum non diu post Augustum nimirum a. u. c. D CCLXXVI. vel ut viro doctissimo HERMANNO NORDKERKIO (g) placuit ipso Augusto imperante a. u. c. D CCLXIV. lata sit; manifestum esse opinor, permultos tunc libertos Decurionatum in coloniis obtinuisse, &c, quæ apud FABRETTVM, BLANCHINVM aliosque leguntur inscriptiones aliquas de ipso in coloniis Decurionatu, decurionalibusq; ornamentiis esse accipiendas. Præterea circa hæc tempora magis magisque priscæ, quas de magistratis constituerendis maiores sanxerant leges, exolecebant, adeo vt in feriis Latinis Cæsar Præfectos vrbi crearet pueros impuberes ex equestri non

H vero

(e) Norisius ad Genotaph. Pisan. Diff. I. Cap. VI. p. 79. (f)
L. vn. C. ad Leg. Vitelliam. (g) ad Leg. Petron. Cap. III. §. 6.

vero ut olim ex Senatorio ordine delectos. (b) Pauci ad alios quoque magistratus vocabantur, qui & idonei essent, & munera bene gesti laudem aliquam depotarent. M. Vipsanii Agrippæ Aedilitas summo pere a populo prædicabatur, quod in spectaculis, lari gitionibus &c. fuerit profusissimus, aliisque egregiis institutis palmarum reliquis præripuerit. Inter ea refert Dio (c) quod τὰς ἀσπολόγιας ήσι τὰς γάνηταις υπερβε exegerit, Augusti, ut videtur iussu, D. Iulii exemplo & ob manifestam utilitatem reipubl. quippe cui hæc φυσιοποιεῖα iam multa grauiaque vulnera inflixerat. Accidit tamen, quod in hoc criminum genere in summa plebis superstitione frequenter fieri solet, ut ob inanes suspicione cum ceterorum nebulonum grege nonnumquam & innocentissimus exulare coactus sit. Ita tunc Anaxilaus Larissæus Philosophus Pythagoricus vrbe electus est (d) idem fatum expertus quod sub D. Iulio Nigidius Figulus eiusdem Scholæ sectator; vterque sceleris imputati purus, ceu ex defensione patet, quam ad allegatum HIERONYMI locum texuit Ios. SCALIGER. Mirum denique eodem anno prodibat SCUM ποδεῖα τῶν εἰς τὴν γέρεον πελάγειον θαλασσίαν κατέβη, ne quis Senatorii ordinis latrociniī accusaretur. (e) Quæ res non ferenda fuisset, ob manifestam iniquitatem, qua grassatoribus quo potentioribus eo magis metuendis aperiebatur via, nisi vñica superfuisset excusatio, quæ & alias sëpe Romæ auditæ est, hominum hoc decretum non esse sed temporum. Cum enim in tanta rerum perturbatione & latro-

(b) Dio Lib. XLIX. p. 416. (c) Lib. XLIX. p. 417. (d)
Hieron. Chron. pag. 154. (e) Dio cit. l.

latrones in Senatum legerentur, & Senatores latrocinarentur, pauci sceleris puri essent, satius omnino videbatur, crimen in vniuersum quasi abolere, quam fere totum ordinem Senatorum magna rei publ. macula eius postulare.

§. XX. Eodem anno consilio laudatissimo bibliothecam Cæsar extruxit, in honorem Octauiae sororis dicendam Octauianam. DIO auctor est (g) Επειδὴ τε οἱ Δαλματοὶ πάντελῶς ἐνεχέργαντο, τὰς τε στάσας λόρων λαφύρων αὐτὸν κοῦ. ΤΑΣ ΑΠΟΘΗΚΑΣ ΤΩΝ ΒΙΒΛΙΩΝ τὰς Ονταζίανας ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτῷ κατεδίστησεν. Ex manubiis vero Dalmatarum, penitus tunc subactorum porticus & BIBLIOTHECAS a sororis nomine Octauianas didas extruxit. Has quidem existimo diuersas fuisse a bibliotheca iuris civilis ab ipso in Palatio condita, & Apollini Palatino consecrata. De ea enim ad IVVENALIS versum (h)

*Sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
ita Scholia fest: Aut quia iuxta Apollinis templum iuris
periti sedebant, & tractabant: aut quia BIBLIOTHE-
CAM IURIS CIVILIS & liberalium studiorum in templo
Apollinis Palatini dedicauit Augustus. Plures enim Cæ-
sar Bibliothecas instaurauerat, vt vel ex antiquis
lapidibus patet, vbi & Græca & Latinae Biblio-
thecarum sæpen numero fit mentio. Ita apud GRU-
TERVM (i)*

C. IVLIVS. C. L. PHRONIMVS.

A. BYBLIOTHECA, GRAECA

& rursus (k)

H 2

D 115.

(g) cit. l. pag. 417. (h) Satyr. I. v. 628. (i) Gruter.
Inscript. p. DLXXXIV, n. 7. (k) p. DLXXVI, n. 9.

(60)

Dominicis. Marini. Bonifacii. Sancti.

C. IVLIVS. FALIX.

A. BYBLIO THECA.

GRAECA. PALAT.

Separata ab his erat custodia librorum Pontificalium,
quod patet ex lapide vetusto apud BLANCHINVM (*)

TI. CLAVDIVS

NAT ALIS

A LIBRIS

PONTIFICAL.

Imo plures ab Augusto institutas esse bibliothecas ex SVETONIO (l) colligimus quando *quos omnes libellos*, inquit, *vetus Augustus publicari in epistola quam breuem admodum ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ORDINANDVS BIBLIO THECAS delegauerat, misit.* Hac vero iuris civilis Bibliotheca in templo asseruabatur, quod Augustus ut ipse testis est (m) in Palatio cum porticibus extruxerat Apollini, Deo suo tutelari & in primis ab ipso culto. Eam ergo HORATIVS (n) in animo habuit quando commemorat

Scripta Palatinus quaecunque recepit Apollo,
ad quem versum Scholiares verus notat *Cesarem sibi in Bibliothecq; statuam posuisse ad habitum ac statuam Apollinis.* Neque alia est bibliotheca cuius in nonnullis lapidibus priscis occurrit mentio apud GRVTER. (o)

BYRAE. CANACIANAE. LIVIAE.

AVG. SER. A VESTE. MAGN.

TI. CLAVDIUS. ALCIBIADES.

MAG. A BYBLIO THECA. LATINA.

APOLLINIS.

ITEM. SCRIBA. AB. EPISTVLIS. LAT.

& alio

(*) Camera ed inscriz. sepuler. de servi &c. della casa d' Augusto. p. 69. (l) vit. Ces. Cap. 56. (m) Monum. Antyr. pile poster. Tab. (n) Lib. I, Epistol. 4. v. 17. (o) p. D LXXVII, 3.

SS (61) SS
& alio loco (p)

OSSA

VIBIAE. SVCESSAE. LIVIAE. AVG. SER.
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A VESTE.
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA.
LIB. ET. A BYBLIOTHECA. LATINA.
APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMAE.
ET. PISSIMAE. B. D. S. M.

Ita Augustus, qui aliquos ex auctoritate sua respon-
furos delegerat, locum iis etiam vbi conuenirent
dare studuit dignum librisque ad artem iuris spe-
ctantibus instructum.

§. XXI. Quæ superioribus paragraphis ex al-
tero Triumuiratus quinquennio in medium attu-
limus, ea tunc quidem acciderunt, cum Cæsar
& Antonius aliquatenus inter se amicitiam adhuc soue-
bant, aut certe souere simulabant. Nunc vero si-
multates gliscebant, odiisque eorum in grauissi-
mum & Actiaca demum pugna terminatum erupe-
re bellum; cuius cauñas prolixè commemorauit
Dio. (q) In eius autem apparatu factum innotuit
Octauiani, quod merito omnes tamquam ~~adversari~~
detestantur. Cum enim Societatem Anto-
niī dubiam, incertam, & adhuc male focillatam
prorsus rumpere constituisset; quo facilius Quiriti-
um animos ab ipso alienaret, iisque, quantopere a
civili more Antonius degenerasset, approbaret, te-
stamentum eius aperuit, & in Senatu æque ac in
concione recitauit. (r) Iam quando hoc factum
tamquam ~~admonitoru~~ reprobatur, in ocu-

H 3

los

(p) p. DLXXVIII. n. 5. (q) Lib. L. p. 419. (r) Sue-
ton. vit. Aug. c. 17. Dio c. l. p. 420.

los quidem incurrit criminacionis caussa, quod ultima hominis voluntas adeo multis fauoribus digna Romanis visa ad effectum perduci non vero eo viuo publicari, multo denique minus properata tabularum recitatione ipsi odium conflari deberet. Addo adhuc aliam; infringi nimirum & debilitari sanctissimam Vestalium fidem, quibus cura & custodia testamenti, cum tutior locus eligi vix potuisse, demandata erat. Erat enim Romanis in moribus positum, pacis, foederum, conuentionum, testamentorum &c. tabulas, si quod in iis cautum sanctissime seruari fas erat, apud Vestae sacerdotes deponere. Ita conuentio inter L. Antonium & Cæsarem custodiae Vestalium mandabatur (s) idem cum tabulis pacis obseruatum inter Antonium, Cæsarem & Pompeium (t) quæ, cum nouo bello ruptæ essent a depositariis ~~ἀπομεθέντοις~~ repetitæ leguntur. (u) De aliis depositis in vniuersum PLVTARCVS (x) autor est ~~ῳδη ταῖς ἐστισ παρθένοις ὡρηναπαθήνας πινας οὐδεὶς οὐδὲ ξένων οὐδὲ πολίτων.~~ Apud Vestales varia tum a ciuibus tum a peregrinis deponi, quod satis opinor, euincit, quicquid inuiolabile seruandum voluerint Romani, id omne ad sanctissimas perpetui ignis custodes fuisse delatum. Iam cum iisdem commendasset testamentum suum M. Antonius, quid mirum si Octavianum illud ex hoc facello deponentem reprehenderint Quirites? imo Vestales ipsas initio tabulas reddere negasse ex eodem PLVTARCHO (y) discimus. Ceterum ut hæc gra-

(s) Dio Lib. XCVIII. p. 363. (t) ibid. p. 379. & Appian. Lib. V. p. 1133. (u) Dio c. l. p. 385. (x) in vit. M. Antonii p. 924. (y) c. l. p. 942.

vissima erat Legum violatio, ita in aliis rebus ad imminens cum Antonio bellum spectantibus exactissime quae a maioribus statuta erant obseruasse Cæsar videri volebat. Cum enim leges Regiae de bello per fecialem indicendo, & de ~~περιπλεμοις~~ quædam sanxissent, Romani tunc πάντα τὰ περιπλέματα τὸ νομόθετον διά τὸ Καισαρεῖον οὐκ Φυγαλίη ἐποίησαν οmnia tunc, quæ more maiorum ante bellum fieri solent. Cæsare ipso feciali peregerunt. (z)

§. XXII. Finito hoc bello per pugnam Aetiam solus Cæsar Octavianus rerum potitus est, & ab eo die Roma tricipite Triumuirorum monstro liberata vni Augusto parere coepit, domino illi quidem, sed domino bono & æquo. (a) Quicquid etiam tunc de amissa populi Romani libertate occulte gemuerint Quirites, reipubl. tamen, si recte perpendatur, expediebat vnius tueri nutum, quam in pristino statu, ciuilibus turbis numquam vacuo futuro, permanere. Ita loue non iniquo POMPONIUS noster (b) iudicat, *Nouissime sicut ad pauciores iuris constitueri via, transisse ipsis rebus dictantibus videbatur, per partes evenit, ut necesse esset Reipubl. per unum consuli, ad quam sententiam aliorum οὐαψίδων multas collegit* V. C. CHR. ADAMVS RUPERTVS. Grauiter LVCANVS (c)

*Non erat is populus, quem pax tranquilla iuuaret
Quem sua libertas immotis pauceres armis,
Inde iræ faciles, & quod fuisset egestas
Vile nefas, magnumque decus ferroque petendum
Plus patria potuisse sua: mensuraque iuris*

VII

(z) Dio Lib. L. p. 421. (a) Id. Lib. LI. p. 442. (b) L. 2.
§. 11. D. de orig. Jur. (c) de bell. ciui. lib. I. v. 171. seq.

*Vis erat, hinc leges & plebiscita coactæ
Et cum consulibus turbantes iura tribuni &c.*

Tam moderate vero, aut potius tam caute monarchica sua potestate Octavianus vtebatur, vt nec Dictatoris perpetui nomen, multo minus, ceu perulgatum est, domini vel regis acceptaret, nec suos tantum familiares, sed & populum ea adpellatione erga se vtentem editio corriperet. Attamen V. C. RUPERTVS (d) non solum Augustum ipsum, sed & filios eius C. & L. Cæsares dominos & reges in scriptis in publicum editis fuisse adpellatos affirmat. Allegat hanc in rem verificulum Dionysii (e)

Pοίουν τηνέστερον, ἐμῶν μέγαν οἶκον ΑΝΑΚΤΩΝ.

Romam venerandam, magnam regum meorum domum.

Caium igitur ac Lucium avāntę adpellari adeo insolens SCALIGERO aliisque visum est, vt ipsum Dionysium in aliam ætatem ablegauerint eumque sub Septimio Seuero vixisse contenderint. Alia mens VALESIO quem PLINII (f) auctoritas permouit, vt auctorem ~~τελευθερως~~ minime diuersum putaret a Dionysio quem cum C. Cæsar in Armeniam moueret, ad commentanda omnia in Orientem præmiserat Augustus, quam sententiam RUPERTVS (g) & maxi- mi nominis Cardinalis NORISIVS (h) calculo suo approbarunt. Quid ergo faciemus voci *avāntę*, quod si quid aliud nomen vehementer auersabatur Augustus. Equidem dici posset vocem *avāntę* non semper dominum denotare. Ita Scholia stes EVRIPIDIS (i). *Avāntę, πυρίως οὐτιπέ, καταχεισμάς δὲ η τες δεσπότας α-*

vau.

(d) ad Enchir. Pompon. Cap. 2. (e) orbis descript. v. 355.

(f) Hist. nat. Lib. VI. c. 27. (g) ad Pompon. c. l. (h) ad Genotaph. Pisan. p. 193. (i) ad Hippol. v. 88.

γαλέες καλέμεν ὡς δευτέρεις σωτῆρες. Δηλοῖ δὲ τότε μάλιστα
δυνέος ἀσυνάντη κ. τ. λ. Quod si etiam dominum signi-
ficet, non tamen semper regem indigitat, cum &
dominum canum ἄνακτα κυνῶν dicamus, ut est apud CAL-
LIMACHVM (b)

Ἄλλοι διται τὸν πόνον ΑΝΑΚΤΑΣ ΚΤΝΕΣ

ΤΑΞΙΔΙΟΝ ΔΕΙΠΝΟΣ ΕΝΤΙ

& TRYPHIODORVM (c)

οὐδὲ ἀλέγαντος ἐξ αὐτοῦ τεθύνοντας ΑΝΑΚΤΑΣ
simili modo apud EURIPIDEM (k) occurrit μονακτόν
λαοῦ ἄναξ ut alia loca prætermittam. Attamen fre-
quentissime ἄναξ de rege usurpatur, nonnumquam
etiam pro Imperatore, ut in Epigrammatibus Græ-
cis (l) de Imperatoribus Constantinopolitanis

Δελτίον μὲν ΑΝΑΚΤΕΣ ἄνχον βίστοιο πέδες ὅλθον

Ησερον εὖ γέρετος καὶ μετέστη ἀνθυπάτων.

& proximo statim epigr.

Κλεινός Ιωαννης, Θυντὸς λέγετος γαμβρὸς ΑΝΑΣΣΗΣ.

Ac quicquid denique de huius vocis significazione
dicendum sit, de qua prolixe egerunt præstantissimi
VITI EZECH. SPANHEMIVS (m) & IACOBVS PERI-
ZONIVS (n) nihil id omne nos morari debet, cum o-
ptime nobis scrupulum exemerit V. C. HENRICVS
DODWELLVS (o) qui Dionysium, ex quo versiculum
retulimus, Periegetam ab Augusteo illo C. Cæsa-
ris in Orientem comite diuersissimum fuisse ostendit.

I

dit.

(b) Hymn. in Pallad. Lavacr. v. 114. seq. (t) Excid. Illi, in
opere aureo Neandri p. 204. (k) Supplie. v. 630, (l) Anthol. Lib. III. Cap. I. ep. 2. (m) De uſu & præſt. numismat. p.
382. & in notis ad Callim. Hymn. I. y. 2. (n) in orig. Babyl.
Cap. XI. p. 207. (o) in Diff. de etate & patria Dionysi Perieget.
in Vol. IV, Geograph. minor. Hudson,

dit. Atque ita nec hic versus euincit Augustum
se suosque dominos regesque appellari passum esse
sed ut in re ipsa ita & in nomine imperii se exhibuisse moderissimum.

S. XXIII. Iamque ea, quæ sub Triumuiratu
vel suo vnius vel collegarum arbitrio statuta erant
sensim abolere cœpit, retentis nonnullis quæ ser-
uare suaserat

virtus iusti prope mater & æqui.

Cumque eius instituta pauca reprehendenda, plera-
que bona, omnia vero ad stabiliendam potestatem
monarchicam comparata esent, Senatus etiam P.
Q. R. in vniuersum eos, ad quos summa rerum
peruenisset amplissimis honoribus extollere consue-
uerint, quid tandem mirum est, quod singulis pro-
pe annis noua decreta ad dignitatem potentiamue
Octauiani promouendam prodisse apud veteres
commemoratum legamus? Iam ut Tribunitiam
potestatem, ut Imperatoris titulum ut alia quæ
summam in republ. & auctoritatem & eminentiam
indigitant nomina Cæsari Octauiano honorificen-
tissimis decretis tributa sint, nostrum non est, hoc
loco prolixè differere, actum profecto acturi, si
quod ab aliis sæpen numero inculcatum est describe-
remus. Vnicum eius & perquam laudabile faci-
nus, quod sextum Consulatum verum *vougeois*
Augustæ principium antecedit contemplari ani-
mus est, censum nimirum Senatus & patritiorum
suppletionem. Nimirum qui pacauerat a ciuilibus
turbis rempublicam, idem eam purgare, senti-
namque eius certe quoad ordinem Senatorium &
equestrem exhaudire sibi incumbere ducebat. Ab
vrbe

vrbe enim condita nec tantus Senatorum numerus fuerat, nec tanta foeditas, quem reipublicæ morbum & supra paucis tetigimus. Cui vt mederetur Cæsar cum M. Agrippa censor factus ^m 58^a ixi^o Senatum examinavit (p) maxima profecto & Censoribus alias haud familiari vſus lenitate. Nemini enim nomen si DIONEM audimus deleuit ipſe, forte quod meminerit ſe in eis legendis magnam rerum partem fuſſe, ſed nonnullos vt dignitate Senatoria ſe abdicarent priuatim auſtoritate ſua permouit, ceteros quoſ curia exelle volebat, vt priorum exemplum imitarentur propositis publice eorum nominibus, compulit. Contra vero, vt Senatus nimia peruersorum hominum multitudine laborabat, ita gentes patriiæ continuaſ tum externis tum maxime ciuilibus bellis exhauiſtæ erant, vt de iis ſupplendis ſerio cogitandum eſſet Octauianō, niſi malleſ magistratus & ſacerdotia multa patriiis adhuc propria cum plebe communicare, moresq; maiorum etiam in hac parte peruertere. Animaduerterat hoc iam Cæſar Dictator qui, cum ipſe rerum potiretur, Lege Caſſia patritiorum numerum teste TACITO ſuppleuit. (q) Cæſar etiam Octauianus ſecundo ſuo Consulatu hac de re ſollicitus SCTum, vt patriiæ gentes allectis plebeiis augerentur, impetrauerat. (r) Nunc autem, cum nec ſua nec patris ſui cura reipubl. hac in re ſatis proſpectum eſſet, quinto Consulatu æmulis remotis denuo de ſplendore ciuitatis ſuæ & patritiarum præſertim gentium conſeruatione cogitauit, vtque

I 2

eas

(p) Dio Lib. LIII. p. 494. (q) Tacit. Annal. Lib. XI. c. 25. (r) Dio Lib. XLIX. p. 417.

ea noua adaugeret accessione Legem impetravit & SCtum. Hoc DIO (s) illam TACITVS (t) commemorat, ex quo eam a latore appellatam esse Sæniam discimus. Post varias doctorum hominum de hoc nomine altercationes, IVSTVS demum LIPSIVS (u) ostendit recte se habere communem TACITI lectio- nem, latorem vero huius legis esse alium nullum, quam L. Sænius a. u. c. DCCXXIII. Consulem suffectum, de quo in fragmento veterum fastorum apud GRUTERVM (x) ita legimus

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIUS

K. IVL. C. ANTISTIVS

BELLVM ALEXANDR.

EID. SEPT. M. TVLIVS

K. NOV. L. SAENIVS.

Nonnulli hac in re LIPSIVM sequuti legem Sæniam non vere legem sed proprie SCtum fuisse contendunt. Quasi non æque L. Sænius populum iure interrogare ac ad Senatum referre potuisset, vt Imp. C. Cæsari Octauiano patritios ex plebe supplere licceret. Ast dico tantum SCti mentionem facit, TACITVS vero dum legem aliquam profert aut errauit, aut καταχεισμας voce legis vsus est. Nimurum DIONIS silentium, vt legem hac de re extitisse negemus haud efficit, TACITVM vero aduersus erroris aut ἀνυπόλογιας suspicionem ipse Augustus defendit in Monumento Ancyranio (y) his verbis

PATRITIORVM. NVMERVM. AVXI. CONSVL. QVINTVM. IVS-
SV. POPVLI. ET. SENATVS.

En ergo legem & SCtum! quibus impetratis salu-
tari reipubl. consilio ad augendas εν περιφερειας se contu-
lis Cæsar Octauianus. §. XXIV.

(s) Lib. LIII. p. 494. (t) c. l. (u) in notis ad alleg. Ta-
ctis loc. (x) p. CCIC. (y) Pila prioris Tab. II.

§. XXIV. Ita quidem emensi sumus, quem e-
metiri constitueramus campum. Ea nempe tem-
pora perlustrauimus quæ necem Cæsaris Dictato-
ris, & Octavianī sextum Consulatum intercedunt.
Hic vero Consulatus, vt in limine huius tractatio-
nis monuimus proprium *vnuodeſtaſ* Augustæ initium
est, quo serio vel certe liberius quam antea de re-
publ. bonis legibus & moribus constituenda cogi-
tavit, & de quo iure usurpes illud CLAVDIANI (z)

Firmatur senium iuris priscamque refumunt.

Canitiem leges, emendanturque vetiſtae

Succeduntque nouæ.

Nobis igitur Augusti acta & cummutatam sub eo
iuris Romanorum publici & priuati faciem descri-
pturis hic Consulatus dicendi principium erit, cui
tractationi hæ opella rerum statum sub Triumui-
ris delineante præludere voluimus. Et sic nihil
superest, quam vt forte defensionem id genus scri-
ptionibus subiici solitam aduersus eos, qui quic-
quid in iuris nostri arte paullo altius ex historia-
rum antiquitatumue Romanarum fontibus repeti-
tur tamquam inania *λεπτολογία* aut tricas api-
nasque & si quid vilius istis contemnunt, annexa-
mus. Ast tædet repetere querelas, quæ de hoc
nonnullorum hominum supercilio iam inde ex quo
litteræ elegantiores reuixerunt, auditæ sunt. Opti-
mum est aduersus hos iudices, vt ipsorum verbo v-
tar, perhorrescentiam iurare, rem omnem vero e-
orum arbitrio relinquere, qui non iurisprudentiæ

tantum forensi sed & politiori illi pretium

statuere norunt, cui & nos nostra

submittere nulli dubitamus.

CO-

(z) *Consul. IV. Hon. v. 502.*

COROLLARIA.

- I. Falluntur, qui communionem æris alieni inter coniuges, qualis Hamburgoi aliquis locis obtinet tamquam statutum iniquum impium & omnimode restringendum reprehendunt.
- II. Vidua Hamburgensis cum liberis suis dividens bona, quæ post mortem mariti iure hereditario acquisiuit, haud confert, quamvis res secus se habeat ratione vidui.
- III. Hamburgoi aliquis locis in quibus usus fructus maternus obtinet mater usufructuaria non alimenta solum lucrat, sed & omnes fructus suos facit.
- IV. Mater usufructuaria cautionem non præstat.
- V. Ut nauim & merces, ita & vitam hominis assecurari non est inconueniens, Hamburgoi certe obtinet.
- VI. Qui pecuniam credit ad restituendam nauim non gaudet in ea iure tacitæ hypothecæ.



Frankfurt, a. O., Diss., 1732-33



f

56.

VDN8



1733, 3a
~~E 426~~
806

A CAPITA
TORIA
IRATVS
DVMIVSRO-
UBLICVMET
PETITA.
IVRIDICA
VIADRINA
SVLTORVM ORDI-
SENSV
IDE
GVILIELMO
ANNO
IO CC XXXIII.
C.
DET
LMVS MVNDT,
NSIS.
ADRVM,
GABRIEL. ALEX.